M

CHRISTOPHORI EHEMII PATRITII AVGVSTANI, IVRECONSVLTI,

De principijs Iuris libri ſeptem, quibus Iuriſprudentiã arte, methodo, ordineq; tradi, proprijsq; finibus circunſcribi poſſe, dilucidè oſtendit.

Cum rerum & uocum Indice locupletißimo.



BASILEAE 1556.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI OTHONI HENRICHO COMITI PALATINO, vtriuſq; Bauariæ duci, Domino ſuo clementiſſimo, Chriſtophorus Ehemius P. Auguſtanus Iureconſultus, S. P. D.

DUo ſunt hominũ genera, quæ præclaris atq; eruditis literarũ monumentis, communi hominum ſocietati prodeſſe, atq; conſulere poſſe exiſtimantur: vnum, eorum eſt, qui cogitando & inueniendo ea, quæ abſtruſa & incognita ſunt, ſuis laboribus & vigilijs patefacere poſſunt, & occulta quærendo inueſtigare: alterum verò, eorũ, qui iam inuenta & conſtituta, nondum tamen perfectè explicata, artificiosè & ordine quodam diſtribuere ac docere. Horum alterũ præſtare poſſe, vt arduum eſt atq; difficile, ita quoq; ſummopere ad cognitionem & ſcientiam rerum comparandam vtile ac neceſſarium, & utrunq;, mea quidem ſententia, ſumma laude dignum. Qui enim res abſconditas & igno

tas patefaciunt, illi reipub. necessaria ad bene beateq́ viuendum præsidia subministrant, qui eadem ingeniose expoliunt, res ac disciplinas ad vsum, adq́ cognitionem aptiores reddunt. Et quanquam hæc per se expetenda et laudanda sint, alterum tamen altero vt difficilius, ita & cōmuni sapientum opinione, nobilius ac præstantius esse iudicatur. Neq; minus verè quàm scitè scripsit Cicero, inuentionem esse principem omnium partium artis, quæ si non antecesserit, curaq́ & cogitatione pertractata non sit, frustra quo pacto artificiose & ornatè reperta ordinari debeant, inquiritur: nam inuentione, principia, media & extrema, in quibus potissima cuiusq; rei vis consistit, scientiarum cæterarumq́ rerum peruestigantur, quæ licet quandoq; exigua sint, suis tamen progresionibus vsa augentur, facileq́ excoluntur. Cuius equidem rei difficultatem prisci philosophi intelligentes, sapienter homines monendos esse censuerūt, in quolibet negocio, siue id ad actionem, siue ad contemplationem pertineret, principiorū, quorū diffi-

difficilis & periculosa est inuestigatio, potissimam rationem haberi oportere: quippe cùm vel leuissimus in horũ constitutione cõmissus error, in immensos atq; inextricabiles labyrinthos excrescat. Huc accedit, quòd multi aliorum inuenta, rectè & artificiosè excolere, interdum etiã constituta, augere possunt & ornare: inuenire tamen, suoq; marte quidpiã excogitare non possunt. at qui res & disciplinas absconditas occultasq; in lucem proferũt, illi profectò facillimè easdem, quotidiano vsu atq; experientia edocti, expoliunt & amplificant. Quod sanè Aristotelem apud veteres philosophos, & Galenũ, ipsumq; antè Hippocratem, apud Medicos potissimũ præstitisse legimus: hi enim non tantũ aliorũ scripta atq; labores in re philosophica & medica illustrarunt auctioresq; reddiderunt, sed & ipsi multa suapte sponte abstrusa, primi inuenerunt, suasq; disciplinas præclaris literarum monumentis nobilitarũt. In Iure ciuili, quanq; multa tum à veteribus, tum à recentioribus eruditè & copiosè conscripta atq; elaborata sunt,

ea tamen ferè omnia ſine certo aliquo & artificioſo ordine congeſta, & cumulata potius, quàm in vnam perpetuã conſonantiã redacta ſunt: vt nõ homine, aut tenui philoſopho, ſed planè Deo aliquo nobis opus ſit, qui tam vaſtum pelagus, certis litoribus ſeu limitibus circumſcribere, quæq; diſperſa ac cõfuſa nunc ſunt, colligere apteq; diſtinguere valeat. Quanquam verò multi, ijq; non indocti, id ſummis conatibus facere aggreſsi ſint, minimè tamẽ quod expetebãt efficere, aut cõſequi potuerũt: quod idcirco illis accidiſſe credo, quia parum exploratis adhuc ingenij viribus, neq; rectè conſtitutis principijs rerumq; fundamentis, tale argumentũ tractandũ ſuſceperũt: cuius obſcuritas & difficultas ea eſt, vt multi etiam veterũ Iureconſultorũ, in omni diſciplinarũ genere præſtãtiſsimi, in hac perturbatiſsima opinionũ varietate, de proprijs ingenijs deſperauerint. Eſt enim in omni ſcientiarũ genere, certa quædam docendi & tradendi ratio, quã qui cõtemnit, aut negligit, nunquã ſanè ad perfectam ſcientiæ & artis cognitionem peruenire

uenire, aut maturos suorum studioru͂ ac labo rum fructus recipere potest. Qua͂ docendi uia͂, ab antiquis temporibus ducta͂, non tantu͂ sapientissimoru͂ philosophoru͂, sed & prudentissimorum Iureconsultoru͂ consensu obseruata͂, co͂probatamq; accepimus. Est au͂t hæc, earu͂ rerum notitia atq; comprehensio, quæ tum in inueniendis, tum in explicandis disciplinis necessariò antecedu͂t, & principia appellantur. Sunt au͂t principia, cognitio generis subiecti seu materiæ, in qua omnis ars seu scientia uersatur: itemq; finis, ad que͂ ea dirigitur, & cuius rei gratia omnis co͂sultatio suscipitur. Horum cognitione neglecta, fieri profectò nequit ut artem aliqua͂ aut inuenias, aut inuentam rectè doceas: quippe cùm potissima cuiusq; rei pars principiu͂ sit, quo absente, totu͂ coalescere no͂ potest. Sunt & alia no͂nulla, his quada͂ affinitate co͂iuncta, quæ Græci una uoce omnia, προλεγόμενα, quòd in omni actione & co͂templatione præfanda & quasi præcognoscenda sint, appellant: quibus illi no͂ tantu͂ imperitos & rudes hominu͂ animos, priusq͂ ad profun-

diores difficilioresq; disciplinarũ quæstiones fiat progressus, instituendos, sed et eorũ mẽtes quasi incendi iisq; inflammari, ne difficultate aliqua oblata ab honestissimo proposito quandoq; abhorrerent, arbitrati sunt. Unde & Caius Iurecõsultus, has præfationes (sic enim ille προλεγόμενα vertit) libentius nos ad lectionẽ propositæ materiæ perducere, & cum eò venerimus, eius euidentiorẽ præstare intellectũ inquit. Quapropter cùm harũ rerum tam vtilis, tamq; necessaria sit cognitio, mirũ profectò sæpe visum est multis, cur nostra ætate, qui de his aut scripsisset, aut saltem scribere in animum induxisset, haberemus neminẽ: nisi fortasse id statuendũ sit, alios, quibus confusa docendi ratio probatur, vt rem ociosam & inutilem, alios, vt difficilem & nouã, nõ attigisse, neq; de his præcepta tradere voluisse. Quorũ equidem opinionibus facilè responderem, nisi me inconsideratæ ac temerariæ ambitionis vel arrogantiæ notã aliquã incursurum, nostrumq; institutũ aliud postulare intelligerẽ. Satis enim arduam prouinciã eum sustinere arbi-

arbitror, qui prætermissis aliorũ reprehensionibus, ijs de rebus quæ partim incognitæ et abstrusæ, partim à nullo sunt perfectè explicatæ, disserere, seq; aduersus imperitũ vulgus, improborũ præterea hominum, atq; pestifera nocentissimaq; calumniatorũ venena, contra quæ vix vllũ (vt Aristoph. ait) ἀντίδοτον excogitari potest, defendere instituit. Quorum ego morsus profectò formidarẽ, nisi me & reip. amor, et doctissimorũ virorũ autoritas, atque adeo præclara iuuenũ studia, quorũ gratia omnis noster hic labor susceptus est, cõmoueret, atq; etiam tueretur. Quandò enim hi qualescunq; conatus non ambitionis alicuius temerariæ, aut friuolæ ostentationis gratia, sed vt, præter ea quæ modò dixi, rebus ad tractandam & docendã Iuris artem valde necessarijs & obscuris, lux aliqua afferretur, à nobis instituti paratiq; sunt, magna me spes tenet, hoc meũ consilium, honestamq; animi voluntatẽ, & quicquid tandem in re noua desiderari potest, à viris doctis & bonis, qui boniq; consultũ iri. Neq; verò me latet, multa &

in his nostris lucubrationibus futura esse, quæ vel diligentiori tractatione, vel exactiori cura et stylo conscribi atq; limari potuissent. Verùm qui id obyciet, Aristotelem (nisi fallor) philosophiæ principem, in Elenchis monentem audient, qui in omni rerum ac disciplinarum inuentione, maximam vim & difficultatem reperiri, neq; ita exactè & absolutè vnumquodq; ab initio constitui, sed iam inuenta, facile augeri atq; ornari posse inquit: quare hoc reliquum eorum qui audiunt, vel legunt, officium esse, vt si quæ prætermissa, minusq; perfectè elaborata sunt, æquo animo accipere ac dijudicare, & si quæ excogitata sunt, debitā primis inuentoribus gratiā referre non erubescant. Quantū autem momenti hæc tractatio ad constituendā & docendam Iuris artem sit allatura, aliorū qui ratione et doctrina, rerumq; magistra experientia, instructi sunt, iudiciū esto. Hoc enim potissimū nos adinuestigasse assecutosq; arbitror, quòd & scientiā Iuris, nō secus atq; alias artes, proprijs finibus circunscribi, atq; ex certis princi-

pijs -

pijs deductum esse, cognatisq́ insuper scientijs ordine cohærere ostendimus: quæ deniq; vera, & non conficta docendarum constituendarumq́ disciplinarũ ratio sit, perspicuè declarauimus. Quod genus argumenti cùm à nobis superioribus annis cõpendio quodam, & plusquã tenuiter, vt tum & ingenij & ætatis ratio ferebat, conscriptũ, neq; tamẽ diuulgatũ esset, bonorũ virorũ hortatu atq; rogatu, idem limandũ, augendũ, typisq́ excudendũ duxi: quoniã δεύτεραι φροντίδες (vt in prouerbio est) crescentibus annis, cõfirmatoq́ asidua lectione & rerum vsu, sapientiores euadere solent. Porrò cùm & his ipsis nostris qualibuscunq; laboribus varias calumniatorũ reprehensiones non defuturas, animo cogitationeq́ satis perspicerem, existimaui eos non tam firmissimarũ rationũ præsidio munitos, q̃ grauissimo patrocinio ornatos, in lucem emittendos esse: nimirum vt qui rationibus nõ acquiescerent, autoritate tamẽ territi, à criminationibus abstinerẽt. Atq; inter cæteros quidem nostræ patriæ Principes, qui & hoc genus stu

diorum maximè probarēt, atq; etiam in tam perturbato horum temporum statu vnicè defensum conseruatumq; cuperent, T.C. in primis mihi digna visa est, cuius tutelæ hoc meū exiguū opus cōmitteretur: quippe cùm & antea clementissimè id suscepturū esse te promiseris, & te eo delectari, per clarissimū uirum Dominū Ioannem Gemetium vtriusq; Iuris doctorem, Tuæ Celsitudinis primarium consiliarium, haud obscurè significaueris. Unde id totum tuo patrocinio atq; fidei, quæ in cæteris rebus, tum maximè in conseruanda iustitia, morum atq; virtutum omnium honestate, & quod potissimum est, in propugnanda veræ religionis ac pietatis doctrina, verè est illustris & regia, committo dedicoq;: atq; vt C.T. Deus Opt. Max. Christianæ reip. bonorum ac doctorum virorum vtilitatibus, toti deniq; orbi, diu incolumem seruet, oro atq; precor.

Bene vale. Augustæ, M. D. LV.

primo Nouemb.

T.C. deditiß.

Christoph. Ehemius.

INDEX EORVM QVÆ IN primo libro tractantur.

VI. LIBRI.

VII. LIBRI.

INDICIS CAPITVM finis.

CHRISTOPHORI EHEMII PATRITII AVGVSTANI, IVRECONSVLTI, PRINCIPIORVM IVRIS LIBER PRIMVS.

INter priscos philosophos Plato, ingenij & doctrinæ princeps, rectè & sapienter dicere solitus est, Ordinem esse animam ipsarum rerum: quandoquidem existimabat, in hac vniuersitatę nihil effici posse, nihilq́; conseruari, sine artificiosa quadam & admiranda rerum omnium constructione, quæ cùm sensibus, tum mente perciperentur: & proinde eo sublato, rursus interire, neq; secus ac cætera animalia, cùm uita priuantur, prorsus extingui atq; corrumpi. Quod quàm verè dictum sit, facilè intelligi potest, si quis non solùm in ea quæ à natura fiunt, sed etiam quæ ab arte, & omnino à nobis aguntur, animum intenderit. Ac primùm quidem, si huius vniuersæ machinæ ornatum structuramq́;, à qua mundum prisci nominauerę, sensu percipere, atqueadeo ratione cognoscere conetur, inueniet hercle ipsius partes, concordi quadam amicitia, & mutua charitatę cõiunctas, ita sese inuicem complecti, vt dissolui nullo modo queant, nisi ab eodem, à quo sunt colligatæ: tantaq́; arte cõditas esse, & admiran

do ordine distributas collocatasq́, ac specie, figura, omniumq́, motuũ harmonia, et quadam συμπαθέια ornatas, ut nulla pars huiusce generis redundans aut deficiens poßit reperiri: atq; idcirco easdem semper occupare sedes, eadem retinere officia, iisdem fungi actionibus, eundem deniq;, ad quem natura factæ sunt, motum seruare & exercere. Neq; verò scientiæ & disciplinæ artesq́; vniuersæ aliud profitentur aut explicant, quàm prudentißimũ in producendis eiusdem naturæ rebus consilium, infinitamq́; omnibus insitam vim ac potestatem, quæ coniuncta sit cum egregia quadam dispositione, aptaq́; & admiranda partiũ compositione: in conseruandis iisdem, miram prouidentiam & bonitatem: vt non immeritò à Zenone, Natura non artificiosa solùm, sed planè artifex dicta sit, consultrix & prouida vtilitatũ opportunitatumq́; omnium: cuius deinde solertiam ars imitatur, fingendo & exprimendo structuram, nexumq́; rebus natura cõstantibus insitum. Eadem dicenda sunt de actionibus vitæ cùm publicis, tum priuatis: quæ si nullo iudicio, nulloq́; rerũ, personarũ, locorum & temporum habito delectu, à nobis suscipiantur, reprehensione carere non possunt. Ex quo fit, vt non sapientißimus solùm inter cæteros, sed & prudentißimus esse iudicetur is, qui rerum omnium, quæ vel suapte vi constant, vel à nobis geruntur & aguntur,

aguntur, ordinem, quoad eius fieri licet, notarę potest, ac planè animaduerterę: quandoquidem cognitionem omnem, siue necessaria illa sit, siue probabilis, nihil aliud esse constet, quàm consentientem cum intellectu rerum conformationē, & quendam (vt sic dixerim) consensum atq; cōuenientiam: atq; idcirco tum demum res omnes rectè se cognoscere vnumquenq; arbitrari, cùm vel ipsarum compositionem, si ex partibus sint cōflatæ, vel cum cæteris rerum generibus connexum, siquidem simplices sint & vniformes, diligenter didicerit: rursusq; nil certi aut veri comprehendere, qui eadem hæc ignoret, rerumq; seriem & ordinem, aut naturæ bonitate, aut arte ac disciplina non sit assecutus. Quapropter sæpenumero mihi cogitanti, quid esset, quòd nostræ ætatis homines, in pulcherrimo facillimoq; Iuris ciuilis studio tam infeliciter versarētur: tandem diligentius rem intuenti, ratio ipsa in hanc potißimum me sententiam duxit, vt nullam aliam huius mali causam esse arbitrarer, quàm quòd eruditè quondam, et ordinatè ab antiquis Ireconsultis tradita Iurisprudentia, in obscurā, confusam, inconditā, ac penè ridiculam barbariem incidisset, vt iam ex summis philosophis, prudentißimisq; hominibus, aut nulli sint, aut certè hac nostra tempestate paucißimi, qui explosa tandem inueterata illa inscitia, ad instauran-

dam huius disciplinæ dignitatem, pro viribus cõtendant, sed potius causidici, proclamatores, rabulæq; esse malint, quàm vera eruditione instructi Iureconsulti, quales profectò veteres illos fuisse rei experientia satis comprobat, eosq; sæpißimè imitandos censet & M. Tull. Cicero, cuius in Iure ciuili conatus honestißimos extitisse, nemo est qui nesciat. Verùm hoc sanè malum vsqueadeo omnium animos peruasit, vt pleriq; ne via quidem & certa methodo idipsum tradi, quinimò experientia quadam tantummodo cognosci, ac proinde vniuersam artem eiusq; partes, sine ordinę aliquo dispersas dissolutasq;, in perpetuã quandam seriem, & in vnam consonantiam cogi minimè posse arbitrati sint. Quorũ sententiam, tantum abest vt intelligã, aut approbem, vt potius eos omnes qui ita sentiunt aut scribunt, longißimè à vero aberrare existimem. Principiò quidem, quòd cæteras artes ac disciplinas, quæ multis numeris Iure ciuili dignitate sunt inferiores, ordine tractari posse fatentur, in sola Iurisprudentia principe atq; regina omnium artium & scientiarum, cùm id fieri posse negant, eo ipso quo cæteris antecellit, spoliare, & propria veluti anima ac spiritu priuare nituntur: quod meherclę nihil aliud est, quàm ex liberalium disciplinarũ numero, atqueadeo è rerum omniũ vniuersitate, violenter ipsam expellere atque eijcerę. Dein

de non

de non intelligunt multi, doctißimorum se veterum placitis, euidentißimisq́; rationibus (vt paulò pòst ostendetur) repugnare: quarum autoritas ita firma est, vt nullis sophistarũ cauillis à quoquam, ne probabiliter quidem euerti poßit. Sed ex eo credo non paucis vsu uenire, vt tam deprauatè & corruptè de rebus iudicent, quòd illotis (vt aiunt) manibus, non constitutis prius finibus, non cognitis principijs, non inuentis medijs, in scientias irrumpant, postpositis multarum rerum cognitionibus, quarũ sine auxilio fieri nequit, vt perfectè aliquid aut cogitemus, aut discamus. Etenim tria esse constat, quæ hominem doctum, & peritũ artis alicuius artificem reddere posse iudicantur: & naturam, & artem & exercitationem: quæ sese perpetuò comitari ac cõsequi ita necesse est, vt vno ipsorum ablato, cætera frustra quæsita, vel data esse existimentur. Et quanquam natura plurimum per se valet, tamen arte expolita, paratior ac promptior efficitur ad contemplandũ & agendum: quinimò quãdoq; deprauata, corrigitur disciplina, frequentiq́; vsu & consuetudine confirmatur. Porrò artem hîc intelligi volo, nõ solùm cognitionem Methodi & ordinis, sed notitiam aliarum quoq; artium ac disciplinarum, quarum maxima est ad percipiendam Iuris scientiam vtilitas: quæ quidem omnia vt paucißimis hac nostra ætate concessa

ſunt hominibus, ita vel præcipuè Iuris ciuilis ſtudioſis, quaſi fatali quodam decreto denegata videntur. Nam quot, obſecro, illorum inuenias, qui de fine vltimo & extremo, ad quem cætera referuntur omnia, ſuæ artis quam profitentur, interrogati, aut omnino quid reſpondeant nõ habent, aut certè perperàm reſpondeant? cùm tamen ex ipſius notione finis, in ſua reſoluta ac diducta principia, nõ ſolùm artes, ſed & ſcientiæ, cæteræq; diſciplinæ omnes inueniantur, inuentisq; principijs, compoſitione tradantur, aut contractis in vnum partibus, definitione memoriæ mandentur. Iam verò quis de genere ſubiecto, ſeu materia, in qua Iuriſprudentia verſatur, ita copiosè accurateq; dixit, qui diſſolutis partibus omnibus, inuentisq; primis ipſarum elementis, ſi nõ exactam, at obſcuram ſaltem rudemq; artis oſtendiſſet effigiem? quod etſi vni alicui homini perfectè ingenio conſequi, eaq; omnia quæ diſperſa nunc ſunt ac diſſoluta, arte complecti, difficilè, multis tamen rectè inchoata abſoluere, inuentisq; aliorum addere, non eſſet impoßibile; idq; ſi (quemadmodum par erat) nonnulli eruditi viri ſummo ſtudio ac diligentia tentaſſent, aliquando futurum eſſet, vt integram perfectamq; huius diſciplinæ, & cæteris artium generibus non inferiorem (quod tamen multi nequaquam fieri poſſe arbitrantur) haberemus cognitionem: quandoquidem

nihil

nihil tam arduum, tamq; difficile sit, quod quærendo & inuestigando, tandem inueniri non queat. Ego verò cùm tantam huius artis confusionem conspexissem, operæpretiũ me facturũ existimaui, si quædam progymnasmata, philosophorum more, quæ ad totam Iuris ciuilis artem rectius percipiendam attinerent, studiosæ iuuentuti proponerem, ex quibus veluti iactis elementis, primisq; constitutis principijs, tota deinceps ars deduci posset. Potissima enim cuiusq; rei (vt Plato inquit) pars, principium est, à quo si quis initio vel minimũ aberrarit, eum sanè in infinitos postea errores incidere necesse est. Sed id quidem nõ ideo faciendum esse in animũ meum induxi, vt quod alijs detraho, aut mihi vendicem, aut solum ex omnibus alijs, quòd multi summis ingenijs exquisitaq; doctrina præstare non potuere, vel si potuerunt, non voluere, effecturum esse polliceri ausim, sed partim quidem vt ostendam Iuris ciuilis reprehensoribus, hanc disciplinam non minus quàm cæteras artes, definitis finibus circunscribi, atqueadeò certa perpetuaq; methodo et ordine doceri posse: partim verò, vt aliorum ingenia excitem & inflammem, ad reparandam erigendamq; collapsam ferè nobilissimæ scientiæ dignitatem. Quod si, vt spero, effecero, existimabo sanè non minimũ me ex his honestissimis conatibus laboris præmiũ fructumq;

retulisse percepisseq́;. Sed iam res postulat, vt institutum negocium aggrediamur.

Placet igitur, quoniam omnis disputatio de elementis atq; principijs Iuris ciuilis futura est, antè cõstituere ordinem earũ rerum, de quibus dicturi sumus, vt intelligatur qua de re, et qua via disseratur. Ac primùm quidem disquirendũ esse arbitror, vtrũ Iurisprudentia ars sit, an scientia, an verò animi quidam habitus, ab arte & scientia, propria differentia separatus. Etenim primi & veteres illi Iureconsulti, videntur esse diducti in varias sectas, vt alij quidem opinarentur, Ius esse quandam artem: cuius sententiæ, Celsum, M. Tullium Ciceronẽ, Vlpianum & cæteros ferè omnes Iureconsultos fuisse constat. Alij crediderũt Iurisprudentiã esse scientiam: quã opinionem sectatus est Imp. Iustinianus, qui eam diuinarũ atq; humanarũ rerum notitiam, iusti & iniusti scientiam esse descripsit. Nõnulli deniq; (quorũ sentẽtia, meo quidem iudicio, cæteris probabilior, & Iurisperitorum scriptis, ipsiq́; adeò veritati magis cõsentanea est) existimarũt Iuris ciuilis cognitionẽ, neq; ad artem, neq; ad scientiam referri posse, sed esse potius quandam prudentiæ partem, quemadmodũ & νομοθετικὴν, id est, ferendarũ legũ peritiam, quæ à Iurisprudentia sola ratione, nõ re & subiecto (vt suo loco dicam) differre videtur. Huius opinionis

&

& Platonem & Aristotelem non vno in loco, sed præcipuè tamen alterum in lib. de Republica, & lib. de Legibus, alterum uerò in lib. de uita & moribus, ut ex multis colligi potest argumentis, fuisse non dubitatur. Quapropter cùm tot extiterint de Iurisprudentiæ natura, priscorum Iureconsultorum ac philosophorum, tamq; discrepantes sententiæ, dispiciendum ac planè dijudicandum est, quænam istarum opinionum omnium, veritati rerum magis sit consentanea. quanquam ego quidem, re altius considerata, existimo penitus nullam, aut certè perexiguam tantùm uerborum cõtrouersiam huic disceptationi inesse, atq; idcirco hos omnes, quos paulò antè cõmemoraui, diuersis notis atq; descriptionibus eandem rem significare exprimereq; voluisse. De huius nostri seculi hominibus eorumq; placitis, nil est quod certi possim affirmare: quandoquidem nunquã mihi cõtigerit aut legere, aut audire aliquẽ, qui ex professo quidpiã de hac dubitatione diceret, scriberétue: sed potius si qui ipsorum sunt (quos certè perpaucos esse reor) qui aliquid conati sint de ea pronũciare ac disserere, certè opinione potius, aut leui aliqua persuasione ducti, quàm vera ratione & iudicio, inciderũt in ea, quæ pro veris aut verisimilibus habuerunt. Proinde si non artẽ, sed prudentiam esse demonstrauero, ordo postulabit vt inquiram, ad quam pruden

tiæ partem referatur. Præterea quòd nō simplex & vniformis, sed multiplex & varia est huius virtutis natura, qua in sua membra diuisa distributaq́3, facilè intelligi poterit, ad quod cōmodè reduci debeat. Iam verò, si quænam prudentiæ pars sit, ratione constiterit, nō ab re me facturū existimo, si inquirā, artificiosé ne & methodo tradi ac doceri poßit, an verò nullis artiū finibus cōprehensa sit, fortunæq́3 potius temeritate inter homines versetur, aut experientia quadam nitatur, cùm quia hæc disceptatio plurimū his nostris temporibus est cōtrouersa, tum verò quia per se vtilis ac necessaria est huius rei contemplatio. Deinde de ordinę Iurisprudentiæ, quē sibi inter cæteras disciplinas suo iure vendicat, erit disserendū, vt poßimus intelligerę, qua via ad hanc nobilißimā facultatē sit accedendū perueniendumq́3, & quæ scientiæ & artes nobis comparandæ sint, vt facilius & citius eam adipiscamur. Non enim omnes, quāuis profiteantur eandem artē, eodem quoq́3 modo discendā arbitrantur: pleriq́3 neglectis cæteris omnibus scientijs, sese ad Iuris ciuilis studiū conferunt: multi verò idipsum sine aliarum artium adminiculis, neq́3 rectè doceri, neq́3 perfectè intelligi posse existimant. Rursus, quia omnis ars & scientia, simpliciterq́3 habitus omnis, aliquod habet genus subiectum seu materiā, cuius proprias affectiones seu paßiones vel contem-

platur

platur, vel certè easdem efficere aut conseruare nititur, quæ sit illa, & qualis sit Iurisprudentiæ materia substrata, est inuestigandum. Etenim fieri nequit, ut artem constituas, aut constitutam doceas, nisi partes generis subiecti antea cogniti dissolutas, ordine explicaueris. Et quoniam artes, & habitus qui in actione consistunt, hoc ipso à scientijs differunt, quòd contemplatio generis subiecti & affectionum, sit finis vltimus scientiæ, & tantùmodo à fine quadam ratione & habitudine distinguatur, subiectoq́; (vt recentiores loquuntur) seu natura eadem sint: in artiũ verò generib. finis à materia, re & notione differat: propterea de fine Iurisprudentiæ dicam, tum quia finis, in rebus agendis principiũ est, quod mouet agentem, vt summo studio & alacri animo propositum opus aggrediatur: mouet autem, quia bonũ est: finis enim & bonum, vt autor est Aristot. sunt reciproca: boni appetitus, omnibus animantibus natura est insitus: quapropter proposito bono, vtilitateq́; rei, reddimur attentiores ad discendas artes atq; disciplinas: tum verò quia ex notione finis, omnes scientiæ, resolutionis auxilio, & instrumento resoluendi, aut constituũtur, aut constitutæ docẽtur. Ex quibus constare arbitror, Iurisprudentiæ naturam non bene cognito perspectoq́; fine, non rectè positis principijs inuentisq́; medijs, planè ignorari. Huc accedit, quòd e-

ius vis & essentia, nondum fortasse (quod sciam) à quoquā rectè fuit explicata, & perspicuè exposita. Deniq; quia ex fine & materia vniuersa ars & scientia, veluti ex partibus quibusdam coalescit ac constituitur, Iurisprudentia ex his eisdem, varijs descriptionibus erit à nobis definienda circunscribendaq;, vt intelligatur perfecta & integra ipsius natura, & cognita ea in suas facilius diducatur partes.

Præceptum est Aristotelis & aliorum philosophorum, in omni disceptatione, quæ cum ratione ac iudicio suscipitur, prius de multiplici vocū potestate ac significatione (siquidem nomen aliquod multiplex occurrat) agendum esse, vt nō tantū vocis ambiguitate nemo in percipienda aut tradenda rerum doctrina fallatur, sed etiam vt quisq; intelligat, qua de re, & quomodo vnumquodq; dicatur. Quapropter inuestigaturus, vtrū Iurisprudentia ars sit an scientia, sequar hoc præceptum Aristotelis, ipsiusq; artis et scientiæ notiones paucis aperiam. Nulli enim dubium est, nomen Artis esse multiplex, atq; idcirco distinguendum: cuius quidem multiplicis potestatis non solùm prisci philosophi & medici, sed etiam Iureconsulti, testes esse possunt, qui variam artis notionem atq; conceptum, diuersis in locis, suis scriptis tradiderunt: rursusq; scientiæ vocem, cum artis significationę confuderūt. Porrò ars concipitur quandoq; pro fi-

pro fixo quodã animi habitu, & notitia intellectus: quãdoq; verò pro operatione & actione, seu vsu artis, qui ex illo animi habitu proficiscitur. Vnde illud Hippocratis: Vita breuis, ars verò longa. quia per artem, hoc in loco, Hippoc. non intellexit habitum animi, vt Galenus sensisse videtur, sed potius actionem & vsum artis medicæ, qui certè longissimus est atq; difficillimus, propter tria illa monstra, quæ Medico operanti occurrũt: occasionem nempe præcipitem, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Etenim habitus nõ est longus, propterea quòd ex cognitione vniuersalium theorematũ ac præceptorum cõparatur, quæ breui tempore addisci possunt. Iam verò cũ pro habitu animi & notitia intellectus accipitur, aut pro quocũq; habitu, & quacunq; cognitione, apud autores, siue scientia ea sit, siue habitus faciendi quidpiam, vsurpatur: vt cùm Galenus in lib. de Constitutione artis, artem diuidit in contemplatiuam & actiuam: & Aristot. sexto Metaphysicorũ, in eam quæ in actione, & eam quæ in rerum contemplatione est posita. Aliquando etiam pro illo tantùm animi habitu concipitur, qui circa res efficiendas versatur, & ab Aristot. sexto Ethicorũ, à quatuor reliquis rationalis animæ partis habitibus, mente videlicet, scientia, sapientia & prudentia distinguitur. Cùm igitur tot modis concipiatur ars, po-

ſtrema tantùm huius vocis notio, ad præſens pertinet institutũ, qua videlicet à ſcientia & cæteris habitibus dirimitur. Cognita notione harum vocum, contemplemur modò naturam earum rerum, quæ his vocibus, artis videlicet & ſcientiæ, & reliquarum ſpecierum ſignificantur: quandoquidem ea perſpecta, facilè nobis cõſtare poterit, qua ratione inter ſe differãt, & quod inueſtigatur, Iuriſprudentia arſne ſit an ſcientia, an verò neutrum horum, perſpicuè oſtendetur: quod ſanè facturũ me confido, ſi perpetuo ordine, & via quadam, noſtra inſtituetur oratio. Exordiar igitur à notioribus nobis, & rebus manifeſtis, ex quibus cætera ſua ſponte eluceſcent.

Omnes homines qui iudicio & mentéque ſunt præditi, hoc mihi conceſſuros arbitror, Iuriſprudentiam eſſe quandam actionem, aut cognitionem, vel vt ſignificantius dicam, habitum cognoſcendi aut agendi, quemadmodũ videre eſt in cæteris omnibus cùm corporis tum animi affectionibus, quas nunc διαθέσεις, nunc ἕξεις nominãt, quæ præditæ ſunt vi agendi & cõtemplandi cognoſcendiq́ue. Siue igitur in actione, ſiue contemplatione & cognitione habitus verſetur, ad aliud refertur: refertur autẽ ad rem, quam vel cognoſcere, vel efficere conatur. Etenim quæ omnino non ſunt, non cognoſcimus: quæ verò effici nequeũt, illa neque facere aggredimur. Nec ſolùm refertur

fertur ad rem cognitã in qua versatur, sed etiam ad facultatem ex qua nascitur omnis cognitio & actio: & quemadmodũ actio & cognitio ex facultate promuntur, ita necesse est facultatem ab aliquo principio proficisci: quandoquidem hæc tria necessariò sese mutuò consequantur, actio, facultas, & substantia seu essentia: vt eodem modo se habeat substantia ad facultatem, quo actio & cognitio ad rem cognitam & efficiendam. Cognitio enim & actio media sunt inter facultatẽ cognoscendi agendiq́, & rem cognitam & efficiendam. Porrò principium omnis facultatis, vt author est Aristot. in Physicis, duplex esse constat: alterum, quod cognoscit vel agit: alterum, quo quidpiam cognoscimus aut agimus: illud compositum est, hoc efficiens vel forma: vt facultatis & actionis videndi, principiũ quod, & substantia quæ videt, est totus oculus, quemadmodũ apprehensionis Socrates. Principium quo hæc actio perficitur, solus est videndi humor crystallinus in oculo: apprehendendi, manus aut digiti: sic cognitionis principiũ itemq́; actionis, quod agit & cognoscit, est ipse homo (loquor enim de actionę & cognitione, quæ homini tantùm, quatenus homo est competit.) Principium autem quo hanc actionem et cognitionem efficit, est hominis anima, seu mens rationis particeps, cuius beneficio res aut efficit, aut effectas contempla

tur. Sed hæc anima multas habet vires, quas Aristoteles aliquando partes nominat, quarum sine ope & auxilio nihil moliri & efficere potest: quæ cùm multiplices sint atq; diuersæ, fit vt diuersa agendi ratio, & dissimilis cognoscendi modus nascatur: quandoquidem facultas, & id quod ex facultate proficiscitur, relatiua sint, quorũ ea vis est & natura, vt alterum sine altero, aut cõstitui, aut cognosci nequeat: & proinde necessarium sit, vno eorum diuiso, ac in sua membra differentiásue diducto, alterũ quoq; in suas partes dirimi ac distingui. Anima ergo hominis vt autor est Aristot. 1. & 6. Ethicorum, duas habet vires, alterã rationis participem, & alterã rationis expertem: quæ partitio nõ sensui tantũ, sed & rationi euidens est, atq; idcirco nulla penitus demonstratione indigere videtur. Pars autem seu vis rationis expers, cum brutis animãtibus homini cõmunis est, quæ continet facultates appetendi, sentiendi & vegetandi. Particeps rationis potestas, sola hominis est propria: quia proficiscitur à ratione & intelligentia, qua à cæteris animãtibus homo distinguitur. Sed rationis particeps, eius deniq; expers, hîc intelligi volo, id quod suapte natura, nõ societate, cõmunicatione néue tale est. Nam rationale, aliquando capitur pro eo quod rationi societate iungi potest, eiq; subijci, & à ratione regi atq; gubernari, & opponitur illi quod

non

non potest parerę rationi: queadmodum dicerę consueuimus, vires concupiscendi & irascendi, esse facultates rationis participes, quia rationi recta & vtilia præscribenti obediunt, & ex quibus animæ viribus virtutes eæ, quæ circa mores versantur, & ἠθικαὶ à Græcis appellantur, ortū trahunt. At sensum, imaginationē, & tres illas vegetandi vires, quæ ad nutriendum, augendum & generandum animal pertinent, rationis expertes: quia fieri nequit, vt rationis imperio quandoq; coërceātur. Aliquando verò rationale id appellamus, quod suaptè natura ratione prædituū est, quodq; alijs præscribit quid sit faciendum, quidue fugiendum, contēplandi & cognoscendi, eligendi fugiendíq; vim natura insitam obtinēs. Et hanc notionē opponimus illi, qua quod sua natura irrationalę est, quodq; ex alterius tantùm arbitrio cognoscit & agit, aut neutrū horū duorū, hoc est, quod neq; suaptę vi, neq; societatę & cōmunicationę, rationę præditum est, significatur. Rationalę igitur & irrationalę, vt nuper dixi, hîc intelligi volo, quod sua substantia talę est. Porrò irrationalē animæ vim, siuę in sentiendo & fingendo, siue in appetitu posita sit, cùm ad præsens institutū non pertineat, consultò prætereo: quandoquidem existimē, neminē vsqueadeo indoctum esse, qui Iurisprudentiæ habitum in ea animi partę inesse arbitretur, quæ

rationis non est compos: sed potius nostri officij esse duco, illarũ viriũ affectiones & habitus explicare, quæ ratione prædita sunt, et cognoscendi vim obtinent: cognoscendi inquã, quia voluntas & electio, cùm in appetendo versentur, vt superiores illæ ratione carentes facultates, huc non pertinẽt. Harum aũt omniũ finis est, veri inuentio, et declinatio falsi: quemadmodum appetitus, boni adeptio, & fuga mali. Inuẽtio veri nihil aliud est, quàm cognitio rerum, vt sunt, per affirmationẽ aut negationem: vtraq; enim, tam affirmando quàm negando, verum aut falsum dicimus. Itaque si cognitio aßimilis est rebus ijs quæ cognoscuntur, & res cognitæ non solùm specie, sed & genere sunt diuersæ, cognitionẽ quoq;, quæ de qualibet re habetur, dißimilem esse necesse est. Nam quemadmodum inter se genere, quatuor sensuum obiecta distinguuntur, sonus videlicet, sapor, odor, & color, ita diuersos etiam efficiunt genere sensus: cuius rei signum est, quòd parens rerũ natura, dißimilia his omnib. fabricata est sentiendi instrumenta, vt quilibet id perciperet ac sentiret, ad quod ab eadem natura homini datus est. Ita quoq; cùm res quæ cognoscuntur dißimiles sint, ac specie et genere inter se differant, efficitur vt cognitiones quibus singulæ apprehenduntur, & vires seu facultates animi ex quibus omnis cognitio promanat, inter se longißimo

mo

uno interuallo distent. Rerum autem aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes. Necessariæ sunt, quæ nō possunt aliter se habere. Contingentes sunt, quæ aliter ac nunc sunt, euenire & contingere consueuerunt. Porrò non possunt aliter sese habere ea omnia, quæ vel principia sunt necessaria, vel ex principijs necessarijs gignuntur: ex quibus quia colliguntur & efficiuntur, propterea necessaria quoque vocantur. Aliter ea contingunt quæ ex principijs contingentibus conficiuntur, aut rerum contingentium ipsamet sunt principia. Principia rursus duplicia sunt, alia cognitionis, & alia rei. Cognitionis principia sunt, vniuersalia quædam pronunciata, quæ ad vniuscuiusque rei cognoscendam naturam, aut proprias eius affectiones, adhibentur: Græci ἀξιώματα nominant. Rei principia appello, quæ constituunt & efficiunt rei substantiam, & essentiam alicuius informant. Horum quatuor sunt genera, efficiens, finis, materia, & forma. Quapropter vt rerum necessariarum tam cognitionis quàm rei principia sunt necessaria, ita probabilium & contingentium, probabilia ac contingentia. Si igitur res cognitæ, vt nuper dicebā, sunt genere diuersæ, cognitionē quoque genere diuersam esse necesse est: fieri enim nequit vt rerum contingentiū, necessaria, aut necessariarum, contingens sit cognitio: alioquin verum di-

ceret is, qui & id quod est, non esse, & quod nō est, esse affirmaret, quod fieri non potest. Ex quo efficitur, vt & vires & habitus, quibus res cognoscuntur & intelliguntur, inter se distinguantur, siquidem res cognitæ & cognitiones, vt iam demonstratum est, sint natura distinctæ. Diuiditur ergo rationalis animæ vis, in triplices vires: primas quidē, quæ versantur in cognitione & contemplatione earum rerum, quæ aliter se habere nequeūt, quæ necessaria appellaui: alteras, quæ res contingentes apprehendant, easq́ue quæ nunc fiunt quidem, sed non fieri tamen possunt, cùm propter causarum & rerum inconstantiā, perpetuamq́ue earum mobilitatem ac volubilitatem: tertias verò, quæ & res cōtingentes & necessarias intelligant. quas certè vires longè inter se distare, res illæ circa quas versantur, planißimè demonstrant. Verumenimuero substantiá ne an ratione differant, inquirere non est nostri instituti, sed alterius disciplinæ, quæ de animæ natura, ipsiusq́ue potentijs ac facultatibus pertractat. Satis mihi sit illarum differentias probabiliter ostendisse, cæteraq́ue quæ probatione indigent loco ὑποθέσεως *subiecisse. Sed potestas animi quæ cōtemplatur res necessarias, ab Aristot.* νοῦς θεωρητικὸς *nuncupatur, quæ vel cognoscit principia necessaria, vel conclusionē necessariā, quæ ex principijs necessarijs oritur: vel vtraq́ue*

tam

tam principia, quàm conclusiones. Prioris potestatis perfectio seu habitus, νοῦς, id est, mens appellatur, seu intellectus: alterius, scientia: postremæ, sapientia. Altera animi vis, quæ cognoscit res contingentes, λογισμὸς dicitur à Græcis, à nostris cõsultatio aut ratiocinatio: interdum ab Aristot. νοῦς πρακτικὸς appellatur, id est, mens actiua: & hæc potestas est vis iudicandi & consultandi, hoc esse faciendum, illud nõ faciendum: cuius habitus, consultatio, aut habitus practicus dicitur. Tertia potestas, quæ res tam necessarias quàm contingentes contemplatur, δόξα, id est, opinio, & ipsa vis habitus, nunc opinatio, nunc opinio ab Aristot. dicitur. Has vt dixi animæ perfectiones longissimè inter se differre, naturam earum consideranti facilè fiet perspicuũ ac manifestũ. Agè igitur & altius sumpto exordio cuiusq; vim ordinẽ explicemus, ab intellectu exorsi, qui & natura & dignitatẽ cæteris prior est ac præstantior.

DE INTELLECTV.

Intellectus, seu mens, quam Græci νοῦν appellant, quandoq; capitur pro facultatẽ & potestatẽ animi, quandoq; pro eiusdem facultatis perfectionẽ ac habitu: potestatẽ quidem, cùm distinguitur cõtra διάνοιαν, id est, cogitationem, quæ ratiocinatur, & δόξαν, quæ est vis opinandi, & φαντασίαν, id est, imaginationem, αἴσθησιν, id est, sensum: de qua mentẽ

Aristoteles tum in lib. de anima, tum in lib. Posteriorum analyticorum copiose disputauit. Pro habitu verò concipitur ab eodem Aristotele in sexto Ethicorũ, cùm à scientia & sapientia separatur. Neq; id mirum cuiquam videri debet, propterea quòd sæpissimè facultatis nomẽ, cùm propria voce caremus, ad eiusdem apud scriptores habitũ transfertur. Cùm ergo duobus modis cõcipi possit Intellectus, nos pro habitu nunc & perfectione potestatis animæ vsurpamus. Intellectus porrò nihil aliud est, quàm habitus mentis, prima demonstrationis principia, simplici medioq; carentẽ, ex sola vocum apprehensionẽ, animi appulsu, aut leui aliqua persuasione cognoscens, à natura omnibus hominibus naturaliter affectis insitus, aut institutionẽ & experientia cùm sui, tum demonstrationis gratia comparatus.

Habitus est quædam affectio, & affectio qualitas: at qualitas accidens: accidens omne in subiecto est: subiectũ, est corpus aut anima. Intellectus ergo accidens est, aut corporis, aut animæ. Corporis quidem accidens esse nequit, quia habitus corporis nihil cognoscit & comprehendit, sed potius comprehenditur & continetur à corpore: at intellectus cognoscit & intelligit, quod sanè ipsius nomen satis ostendit: dicitur enim intellectus ab intelligendo. Animæ igitur habitus est, & animæ quidem rationalis,

(de

(de hac enim sermo est.) Sed rationalis anima tres habet vires, mentē, cogitationem, & opinionē. Intellectus cogitationis perfectio esse non potest, quia cogitationis proprium est ratiocinari, conclusionemq; per cōuenientia & idonea media cognoscere & intelligerę: at intellectus non cogitat, non ratiocinatur, sed intelligit tantùm. Neq; etiam opinionis, quia opinio tam vera quàm falsa cognoscit, intellectus res veras & necessarias tantùm comprehendit. Erit igitur mentis habitus atq; perfectio. Sed si est habitus mentis cognoscens, & cognitio alicuius est cognitio & apprehensio, necesse est aliquid eum cognoscerę & intelligerę. Cognoscet igitur aut sensile, aut intelligibile. Sensile appello, quod sub sensum cadit, & particularę, seu indiuiduum est. Intelligibile, quod sub intellectū, & vniuersale est. Cognoscerę autem singularę nequit, quia sensu id iudicatur & percipitur. Intellectus sensus non est: propterea rectè dixit Aristoteles, sensum esse rerum particularium, & intellectum vniuersalium. Porrò vniuersale, aut est principium & elementum demonstrationis, vt propositio: aut ortum de elementis, vt conclusio & νόημα. At intellectus, conclusionis non est, quia conclusio nihil aliud est, quàm propositio necessaria, ex propositionibus necessarijs & vniuersalibus per demonstrationem collecta. Sed intellectus non ratiocina-

tur, vt nuper dixi: relinquitur ergo, vt sola intelligat principia. Principia intelligi volo, quæ prima sunt et simpliciter prima, quæ ad alia nō referuntur, & demonstrari minimè possunt, quia ipsorū cognitio, est scientia meliori modo acquisita, quàm scientia conclusionis, quæ acquiritur per demonstrationē: cuius rei signum est, quòd sine his neq; intelligi quicquam, neq; quæri aut disputari potest: atq; idcirco si probarentur, aut per demonstrationē cognoscerentur, & sic non essent principia, aut in infinitum fieret progressus in principijs, quòd certè fieri nequit. Quapropter simplici medioq; carentę cognoscuntur animi intelligentia, quemadmodum & illa quæ sensibus exposita sunt omnia. quod sanè idcirco euenire iudicatur, quia euidens ac perspicua est principiorum veritas & natura: quamobrē & cōmunes animi conceptiones & notitiæ appellantur, quas Græci ἐννοίας vocant, quæ sola vocum vi perspecta, illicò cognoscuntur, aut leui aliqua probatione cōfirmantur. Sed ex vocū apprehensionę cognoscuntur illa principia quæ ἀξιώματα, id est, pronunciata nuncupant philophi, aut enunciationes, quæ omnibus hominibus à natura sunt insitæ atq; impressæ, vnde & nomen apud Græcos sortitæ sunt: quandoquidem cùm suapte vi euidentes sint ac perspicuæ, quasi sine aliqua dubitatione aut cōtradictione concessa ab omnibus

sumun-

ſumuntur in diſceptationem: qualia ſunt, Omnes homines natura cognoſcere, deſiderare: omnia bonum appeterẽ: omnia animantia vim vi repellerẽ: ſi æqualibus æqualia demantur, quæ relinquuntur æqualia eſſe. Aliud genus principiorum eſt, quod etſi per ſe verum eſt, nullaq́ demonſtrationẽ indiget, tamen non ita prima ſtatim frontẽ atquẽ inſpectionẽ ab illis qui artem aut diſciplinam addiſcerẽ contendunt, cognoſcitur: quapropter explicationẽ & leui aliqua, ſeu probabili oſtenſionẽ, vt ijs aſſentiantur indiget, quod genus Græci θέσιν appellant: cuius alia eſt definitio, alia ὑπόθεσις: & huius rurſus, alia ὑπόθεσις, alia poſtulatum & αἴτημα. Sunt autem hæc propriè principia ſcientiarum, & ob id non facile primo aggreſſu intelliguntur. Sed hæc omnia perfectè explicarẽ, non eſt huius inſtituti, ſatisq́ ſit rudi quodam typo, craſſaq́ (vt aiũt) minerua, quæ ad huius habitus intelligentiã attinent, attigiſſe. Confirmantur ergo, vt iam antea dicerẽ cœperã, hæc principia, non ſcientifica demonſtrationẽ, ſed veriſimili aliqua probationẽ, vt inductionẽ, ſenſu, conſuetudinẽ, & experientia. Inductionẽ quidem, ſcientiæ mathematicæ: ſenſu, naturalis: conſuetudinẽ, moralis: experientia, medicæ artis principia. Horum pronunciatorum omnium poteſtas eſt ipſa νοῦς, id eſt, mens, cuius habitus, intellectus appellatur. Porrò autem

omnis habitus, est quidã terminus et finis, & quoddam extremum, extremum inquam & finis mutationis & motus. Sed omnis motus & mutatio cietur ab aliquo motorę & efficientę, quia nihil in seipsum agit, nec à seipso, quatenus ipsum est, patitur, sed ex aliqua alia causa (cùm nullius rei, causa remota, origo reperiri poßit) gigni necesse est: quarę & intellectũ ab aliquo efficientę genitũ productumq; esse oportet. Sed efficiens, aut natura est, aut homo. Natura quidem ingenerat omnibus hominibus (naturaliter tamen affectis) illa principia quæ axiomata & pronunciata appellaui: quandoquidem nullus ad eorum perceptionem præceptorę institutionéue indigeat, sed suaptę vi audita statim intelligat. Dixi naturaliter affectis, vt eos homines qui aliquam in membris, quæ ad intelligendum necessaria sunt, mutilationẽ læsionémuę perpeßi sunt, aut nondum eò ætatis quæ ad intelligendum & ratiocinandum idonea est peruenerunt, ab hoc habitu excluderem: quales sanè & stultos, qui rationę nunquam potiuntur, & pueros, in quibus eadem, humiditatę impedita, esse constat. Quemadmodum ergo primæ illæ notitiæ, à natura omnibus hominibus potestate insunt, sic cætera principiorum genera, quæ primò & per se ad disciplinas referuntur, aut institutione, aut experientia, aut disciplina & consuetudinę comparantur:

rantur: & habitus horum principiorũ proprius eſt artificum, qui artes atq; diſciplinas profitentur, & in ijs longo temporę ſunt verſati. Nam vt Geometra definitiones, hypotheſes, & poſtulata geometrica optimè cognoſcit, ita Medicus, medicas, & Iureconſultus eas potiſsimũ rectè perſpectas habet, quæ ſua artę ac diſciplina ſunt comprehenſæ. Porrò habitus qui verſatur in cognitionę principiorũ, alicuius boni gratia id facit: quia omnę quod à natura, aut à nobis fit, id alicuius boni gratia fieri neceſſe eſt. Sed earum rerum quæ cognoſcuntur, aliæ ſui tantũ gratia cognoſcuntur, aliæ alterius, quædam & ſui & alterius. Sui tantùm gratia, ea omnia cognoſcuntur, ad quæ cætera referuntur: vt finis in aliqua artę & ſcientia, cuius cauſa omnia theoremata & problemata cõtemplamur. Alterius gratia cognoſcuntur, quæ ad finem ſemper deſtinantur. Sui & alterius, quæ etſi ſuapte natura ſcire pulchrum eſt, neq; alia quapiam rę, vt intelligantur, indigent, ad aliarum tamen rerũ naturas cognoſcendas conducunt. Huius generis prima principia eſſe, nemo eſt qui ambigat, quæ etiamſi perfectam cognitionem ſuaptę natura conſtituunt, referuntur tamen ad demonſtrationem, quia ex his colligitur & concluditur neceſſaria concluſio, quæ parit ſcientiam. Et ob id non im meritò priſci philoſophi νῦν, id eſt, intellectum, prin-

cipium scientiæ nuncupauerunt, quia ex principiorum connexu tanquã ex quibusdam elementis conflatur omnis scientia; iisdemq́ sublatis, ipsa rursus aufertur. Ex his manifestè patere arbitror, quæ sit intellectus natura, qua cognita, quid à scientia differat, iudicatu & inuentu non est difficilè.

DE SCIENTIA.

Scientia nihil aliud est, quàm ratiocinatricis animæ potestatis habitus, per demonstratione͂, ex propositionibus, proprijs, veris, necessarijs, primis, proximis, notioribus, causisq́ tum rei, tum co͂clusionis, ad diuinarum & humanarum rerum proprietates cognoscendas acquisitus.

Est inquam habitus animi, quemadmodum & intellectus, quoniam est constans animæ perfectio. Perficit autem eam animæ parte͂, quæ ratione præ dita est, non quidem totam, sed definitam ipsius potestatem. Nam quemadmodum res cognitæ, vt nuper dicebam, sunt genere diuersæ, ita & cognitiones & vires cognoscentes, genere diuersas esse necesse est. Etenim cognitio, alia est principiorum, alia conclusionis, alia vtriusq́. Principiorum ergo scientia esse non potest, quia ipsorum est intellectus, quemadmodum satis demonstratum est. Neq́ vtriusq́, conclusionis inquam & principiorum, cùm quia nobilior facultas hæc apprehendit, tum quia scientia princi-

pijs

pijs vtitur iam notis & manifestis, atq; idcirco ea nõ demonstrat, quia in infinitum principia probarentur, quod fieri nequit. Est ergo scientia habitus cognoscendi conclusionem: hoc est, finis scientiæ, est cognitio cõclusionis. Sed omnis conclusio est in generę relatiuorũ, quia refertur ad sua principia, quorũ conclusio esse dicitur, quia ex his colligitur, efficiturq;, colligitur inquam ex principijs, à potestatę & animi vi, quæ ratiocinando & cogitando, quasi exprimit ex principijs veris & necessarijs, conclusionem veram atq; necessariam, ex qua nascitur scientia. Scientia itaq; est habitus quidam & vis perquirendi, ratiocinandi: aut, vt multò rectius dicam, scientia est habitus per ratiocinationem ac demonstrationem acquisitus. Ratiocinari porrò & cogitarę nulla animi vis potest, nisi apta sit ad nectendas propositiones cum sua cõclusionę, & idonea ad ratiocinandum. Sed huiusmodi ea est tantùm, quæ Græcis διάνοια, nostris quandoq; cogitatio, quandoq; vis ratiocinandi, interdum à nonnullis discursus dicitur, cuius officium est, disceptarę, animi conceptus sibi inuicem nectere, & conclusionem ex mutuo principiorum complexu perquirerę atq; inuenirę. Et tametsi aliæ animi potestates quoq; intelligant, nulla tamen earum ratiocinatur: mens enim, vt sæpę dixi, nobilioris est originis, quàm vt ad cogitandum

nata sit: quinimò prædita est acerrima & acutissima quadam vi, & quasi acie, illicò percipiendi rerum conceptus & naturas, ad quarum apprehensionem nullo cogitandi ratiocinandíue labore indiget, sed simplici appulsu omnia intuetur, cognitaq́ iam retinet: atq; idcirco non immeritò à quibusdam philosophis appellatur oculus animæ humanæ, propter quandam similitudinē & affinitatem, qua coniuncta esse videtur oculis corporis, & sensui visus. Etenim inter cæteros corporis sensus, visus, ad cognoscendas multiplices atq; minutissimas rerū differentias (vt inquit Aristoteles) est accommodatissimus & acutissimus. Iam verò ipsi quoq; sensus omnes, si & sani sunt & valentes, & omnia remouentur quæ obstant & impediunt, quanquam incorruptè de rebus iudicant, tamen id totum citra aliquam cōmentationem perficitur: quandoquidem deterioris naturæ existant, quæ ad cogitandum minimè est apta atq; idonea: & proinde vt hi propter ignauiā, ita mens ob naturæ præstantiam non ratiocinatur. Præterea neq; φαντασία, id est, fingendi vis idipsum præstare posse videtur: quia φαντασία nihil aliud est, quàm formarum & imaginum, quæ sensu sunt perceptæ ac cognitæ, statio & conseruatio: quod ipsius nomē satis comprobat. Etenim dictā esse aiunt φαντασίαν, quasi τῶν φανέντων στάσιν, id est, visæ imagi-

imaginis stationem seu quietem. Si igitur sensus non cogitat, certè multò minus phantasia id efficere poterit. At scientia est quidam habitus cognoscendi conclusionẽ, expressam ex certis & necessariis principiis. Eandem ob causam, neq; opinionis affectio esse potest, cùm quia opinio conclusionis tantùm, sine aliqua cõmentatione, est comprehensio: conclusionis inquã, vel à sensibus acceptæ, vel à cogitatione illatæ. Præterea opinio, tam falsa quàm vera esse potest, at scientia non nisi æterna est & perpetua. Itaq; relinquitur scientiam esse habitum potestatis animi, quam διάνοιαν appellaui, quæ sola ratiocinatur, cogitat, atq; ex propositionibus nectit conclusionem, ex qua nascitur scientia. Verumenimuero si exprimit conclusionem ex certis principiis & pronunciatis; profectò à reliquis animæ partibus ea proficisci necesse est, à mente inquam, opinione, & phantasia: non à sensu, quia propositiones per se, à sensu depromi non possunt, propterea quòd sensuũ sedes est ipsa fingendi vis, qua omnes homines præditi, quantumuis affectis sensibus ratiocinãtur. Huc accedit, quòd sensus versatur circa res singulares & indiuiduas, at imaginatio vniuersalia contemplantibus facultatibus magis est assimilis. Itaq; cùm tria sint propositionum genera, quæ ex diuersis animi potestatibus depromuntur, conclusionẽ scientificam ex harum

aliqua oriri necesse est, ita quidem vt διάνοια, aut acceptis à mente principiis, aut opinione, aut phantasia nectat demonstrationem, quæ parit scientiam. Quare si à mente acceptis iis ratiocinetur, verã & necessariam colliget conclusionem, quæ propriè ab Aristotele dicitur demonstratio, ex qua nascitur habitus demõstratiuus, seu scientia: quandoquidẽ communes animi notitiæ & conceptiones, ex quibus syllogismus nectitur, semper ueræ sunt, æternæ atque perpetuæ, quæ nunquã aliter euenire possunt, quàm nunc sunt. Quòd si eadem cogitandi vis ad opinionẽ se conuertat, atque adeo argumentorum & probationum principia ab ea sumat, verisimilem & probabilem efficiet conclusionem, ex qua dialectica ratiocinatio gignitur, quæ aliter atque aliter euenire consueuit: nec est æterna et perpetua, propter res quæ cõtinua alteratione mutantur. Opinio quoque non semper res veras cognoscit, sed quandoque specie recti & boni decipitur. Denique si cogitatio imaginationi coniungatur, & cognitas ab ea perceptasque propositiones accipiat, constituet captiosam & sophisticã argumentationem, quæ falsa est & ementita. Omnis enim ementita opinio à phantastica virtute oritur, quæ cùm rerũ species & typos perperàm sensu diiudicatas recipit, eosdemque cogitationi subministrat, eam secum in errorem trahit. & quemadmodum

ex prin-

ex principijs veris ac necessarijs, non nisi verum & necessariũ, ita ex falsis utplurimũ non nisi falsum effici potest. Sciẽtia ergo effectus phãtasiæ esse nequit, quia scientia contemplatur res veras, æternas atque perpetuas, & imaginatio falsas. Neq; etiam opinionis, quia id quod scimus, aliter se habere non potest: at quod opinamur, quandoq; aliter atq; aliter euenire cõsueuit, esse & non esse, fieri & non fieri potest. Relinquitur igitur, scientiam esse effectum demonstrationis, & habitum demonstratiuũ, cuius opifex est ipsa cogitatio, quæ ex propositionibus, à mente et intelligentia acceptis, nectit conclusionẽ perpetuam & æternam. Nectit autem hanc conclusionem ex principijs veris, proprijs, necessarijs, primis, proximis, notioribus, & causis tum rei, tum conclusionis. Ex veris quidem, quia ea quæ non sunt, nón tantùm non scimus, sed ne opinamur quidem esse. Sed non satis est vera esse hæc principia, nisi etiam sint propria: quia ex proprijs, non ex communibus, demonstratio nectitur: nullus enim scientiæ demonstratiuæ professor, ex cõmunibus demonstrat, sed solus sophista, aut dialecticus: qualis fuit demonstratio Brysonis, qui conabatur quadraturam circuli ex cõmunibus ostendere. Etsi quandoq; videatur aliqua sciẽtia vti principijs communibus, tamen prius nõ vtitur, nisi cõmunia faciat propria. Ne longius abieris, cõtraria

contrarijs expelli, & si æqualia æqualibus adempta sint, quæ remanēt esse æqualia, sunt pronūtiata communia: quia complures scientiæ & artes, non una tantùm, vtuntur his principijs: vtuntur autem non tanquam cōmunibus, sed vt proprijs, quia ex communibus adiungendo materiā faciūt propria. Exempli gratia: Medicus hoc modo ad finem suæ artis accōmodat, contrarijs morbis contraria conuenire medicamenta: vt, inanitionem repletione, & repletionem inanitione curari: addita enim differentia communi principio, efficit illud particulare & propriū. Sic Iureconsultus eodem vtitur principio, sed diuersa ratione, quatenus videlicet ad artem quam profitetur, vtile est: vt, contrarijs peccatis, cōtrarias quoque pœnas decernendas & constituendas esse. Geometra verò cōmune illud principium, Si ab æqualib. æqualia demas, &c. ad magnitudines, aut quantitatem continuam accommodat: Si ab æqualibus magnitudinibus, æquales magnitudines auferas, quæ reliquæ sunt, certè inter se æquales etiā sunt. Arithmeticus idem de numeris pronuntiabit: Si ab æqualibus numeris, æquales numeri demantur, reliquos etiam qui relicti sunt pares esse inter se. et sic in cæteris par est ratio. Itaq; scientia seu demonstratio, ex proprijs, non cōmunibus, concludi atq; effici potest. Cæterùm quia hoc ipso differt scientia ab opinione, arte et prudentia,

dentia, quòd sit certa, & rerum necessariarũ: opinio autem, ars & prudentia, rerum contingentium: & prudentiæ finis incertus, & quæ ante finem sunt, incerta: idcirco principia erũt necessaria: alioqui si nos sciremus sine principijs necessarijs, profectò quod sciremus, idipsum planè nesciremus, quod quidem valde absurdum est: quia qui scit, nullo modo mutatur: quia scientia est immutabilis. Immutabile est, quod non potest aliter se habere: id autem est necessarium, quare principia scientiæ sunt necessaria. Porrò autem si principia sunt necessaria, sequitur etiam vt sint incorruptibilia: quoniam æternorum est demonstratio & definitio, tam illa quæ est principium demonstrationis, quàm ea quæ efficitur conclusio. Si ergo constat nos scire per principia necessaria, etiam erit necessarium scire per priora & notiora: notiora quidem, quia ignotum scitur per principium notum: notiora autem sunt principia, quia sunt causæ, cur sit & cognoscatur cõclusio: nam propter quod vnumquodq; tale est, certè id magis tale esse necesse est. Sunt ergo principia notiora conclusione, & cognoscuntur meliori cognitionis modo, ut antea dixi, quàm per demonstrationẽ, qua cognoscitur conclusio. Priora etiã principia sunt conclusione, quia conclusio est effectus, at effectus est posterior sua causa. Prius enim esse, duobus modis dici solet: aut id quod

simpliciter et suapte natura prius est, aut quo ad nos, hoc est, quod primò nostræ occurrit cognitioni atque intelligẽtiæ. Sua natura priora sunt causæ, principia, & elementa, suis effectis compositis, & confusis. Quo ad nos, nostrumq́ue cognoscendi modum, antecedunt effectus suas causas: & composita, sua principia: & vt semel dicã, quæ sensibus subiacent, ea quæ ratione atque intelligentia comprehenduntur. Principia ergo sunt causæ, & cur sit, & cur efficiatur conclusio. Sed cur sit, & cur efficiatur conclusio, causæ esse non possunt, nisi sint & primæ, & immediatæ, et veræ causæ. Immediatæ quidem, quoniam (vt inquit Aristoteles) tunc arbitramur vnumquodque nos scire, cùm causas proximas, et principia atque elementa proxima cognoscimus. Ex his ergo principijs & propositionibus tanquam ex materia quadam colligitur & gignitur demonstratio, ex qua oritur scientia, scientia inquam & cognitio affectionũ seu proprietatum, rerum humanarum atque diuinarum. Etenim vt definitione, rerum naturæ ac substãtiæ explicantur, ita demonstratione passiones & accidentia cognoscuntur. Hæc est perfecta descriptio scientiæ, qua distinguitur ab intellectu. Quanquam enim vterque habitus res necessarias cõtemplatur, tamen id fit diuersa ratione: quia intellectus est habitus primorum principiorum, & scientia conclusionũ, quæ ratiocinatione

tiocinatione quadã efficiũtur. Et quemadmodũ intellectus est effectus mentis, ita scientia cogitationis.

DE SAPIENTIA.

Atqui si primorum principiorum habitus, mens est, & conclusionum scientia, vtrorunq; sanè, principiorum inquam & conclusionum, alium omnino constituendum esse habitum, nemo est qui ambigat: etenim & diuersa sunt illa quæ cognoscuntur, & neuter eorum habituũ quos enumeraui, id quod ex principijs & cõclusione compositum est, cognoscere nititur. quapropter Aristoteles huic generi rerũ adiudicauit sapientiam. Sapientia uerò duplex est, altera cõmunis, & altera propria. Communis est, quæ in omnibus artium generibus, & artificibus earum cernitur: quandoquidem hæc sapientia præscribit artifici modũ rectè operandi & agendi in arte, ut non temerè quidpiã moliatur, efficiatue, sed recta ratione ea omnia quæ ad futuri operis cõstructionem, & ornatum pertinent, sine errore aliquo perpendat inueniatq;, & inuenta vt vsus exigit adhibeat. Atq; hæc quidẽ sapientia ab Aristotele singularis & particularis appellatur, quia est singulorũ artificum, eorumq; qui in aliqua artę particulari aut scientia peritissimi habentur. qua significatione veteres dicerę consueuerant, Phidiam & Polycletum esse sapientes statuarios, quòd insignes essent sculptores & ar-

tifices, omniumq́ rerum formas & imagines artificiose sculpendo imitarentur: quorum alter Mineruæ statuã miro artificio fabricauit, amplitudinẽ cubitorum viginti & sex, quæ eborẽ & auro constabat, in cuius scuta Amazonũ prælium cælauit, & deorum gigantumq́ dimicationem in soleis Lapitharum & Centaurorũ. hunc Plinius uocat nunquam satis laudatum artificem. Alter uerò diligentia & decore supra cæteros, vt inquit Quintilianus, ex ære signa fecit nobilitata scriptorum præconio, cumprimis quidem astragalizontes, hoc est, talis ludentes, quo operẽ nullum absolutius iudicãt. & Herculem finxit cum pelle & hydra. Hæc itaq́ sapientia dicitur singularis ab Aristotele. Altera porrò est generalis & propria, quæ non partis alicuius scientiæ, aut vnius artis rationem reddere potest, sed omnium artium & omnium doctrinarũ causas inquirit, vt in Margitẽ dixit Homerus:

τὸν δ᾽ οὔτ᾽ ἄρ᾽ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν,
οὔτ᾽ ἀροτῆρα, οὔτ᾽ ἄλλως τι σοφόν.

Siquidem & fossor in ipsa fodiendi artẽ, & arator in arandi generẽ, & alij in alia re excellerẽ, atque in sua artẽ sapiens appellari potest. Attamen hi omnes quadantenus sapientes sunt, non simpliciter & generatim: etenim qui propriè sapiens est, omnium rerum causas reddere potest, quia scientiam habet omnium

nium artium atq; disciplinarum. Posita hac notione sapientiæ, Aristot. generalem & propriam, sexto Ethicorum, hac ratione descripsit: Sapientia est habitus animi, ex intellectu & scientia cōpositus, veluti rex & moderatrix omniū artium & scientiarum, in rerum suapte natura præstantißimarū comprehensione versans. Est enim sapientia, habitus intellectus, quia principia & pronūtiata quæ ad demonstrationem adhibentur, cognoscit, & circa illa (vt Aristotelis verbis utar) verū dicit: non tamen eadē ratione qua intellectus, qui simplici intelligentia ea apprehendit, sed quadam cum demonstratione ac ratiocinatione, collecta aut ex priorib. & causis, aut certè posterioribus, & effectibus. Nam intellectus seu mens, principia per se nota ac manifesta comprehendens, scientiæ & cogitationi illa subministrat: quæ si ab aliquo aut omnino non probentur, aut cum hæsitatione & dubitatione quadam concedantur, ad superiorē artificem, sapientem nimirum, aut dialecticum, tanquā ad sacram anchoram confugit, qui ratione & probatione ea confirmare stabilireq; nituntur: sed id quidem diuerso modo ac ratione: Dialecticus enim probabiliter, sapiens scientificè de ijsdem disputat. Quod facilè quis intelliget, si animo suo artium ac disciplinarū pronuntiata, primaq; eorū principia perlustrauerit: quæ cùm ex pro-

priæ ſcientiæ, aut artis præceptis & concluſionibus, vel prioribus alijs principijs probari nequeant, aliunde ſuæ certitudinis teſtimoniũ peterę cogũtur. Nam ex præceptis & concluſionibus, atq; in vniuerſum ex ijs quæ poſteriora ſunt ſuis principijs, eadem confirmari ac ſtabiliri nõ poſſunt, quia principia debent eſſe notiora concluſione: cæteroquin aut nota probarentur per ignotiora, aut ex illis nihil omnino cognoſci, nihilq; percipi & concludi poſſet, quorum vtrunq; fieri nequit, niſi quis illud demonſtrandi genus admittendum eſſe contendat quod in ſeſe reciprocatur, & recurrit in modum circuli, vnde etiam à philoſophis circularis probatio dicitur, cuius autoritas ſatis luculenter ab Ariſtot. in lib. Priorum reſolutionũ eſt labefactata, penitusq; euerſa. Quòd ſi dixeris, ex prioribus principia probari poſſe, velis nolis concedas oportet, aut ipſa, nõ eſſe principia, quia non ſunt prima, aut in infinitum res confirmari poſſe, quod abſurdum & impoßibile eſſe iudicatur. Quapropter ſi nulla ars, aut ſcientia et diſciplina propria axiòmata & pronuntiata confirmarę poteſt, reliquum eſt vt à ſuperiori facultate id fiat, quam ſapientiam appellaui. Verùm quia hæc multis fortaſſe non ita nota ſunt, propterea rem omnem exemplis illuſtrabo. Aedificator, aut quilibet alius artifex, in ædificànda domo, aut alio operę, amußi & perpendiculo vti-

lo vtitur, vt ædificiũ quod struit, ad rectam lineam euehat: neq; tamen huiusce rei causam, cur videlicet posito tali instrumento, recta linea efficiatur, reddere potest: sed veluti confessum ac notũ sumit hoc vniuersale pronuntiatum, omnia ea recta esse, quæ ad mensuram perpendiculi eriguntur. Ita Geometra punctũ esse definit, cuius pars nulla sit: & hanc suam descriptionẽ ponit loco principij manifesti, nec cur res ita se habeat, inquirit, sed conquiescit audita ea descriptione. Idcirco si huiusmodi pronuntiata ab aliquo vel non intelligantur, vel certè vt vera esse negentur, illicò sapientis auxilium artifex implorat, aut dialectici, qui hæc comprobare stabilireq; nituntur. Atq; hi quidem alterius principij causam grauitati corporis adscribent, quòd ad rectos angulos rectamq; lineam deorsum labitur: alterius verò, quòd omnis terminus seu mensura, eo ipso quod metitur, vna dimensione superetur: ac proinde cùm corpus quod tribus dimensionibus affectum est, superficie circunscribatur, superficiem duas tantummodo sibi vendicare: iterumq; cùm superficiei quæ duas habet dimensiones, terminus linea sit, lineã dimensionem vnam retinere: deniq; cùm linea punctis claudatur quæ vno termino affecta est, pũcto omnino nullam amplius dimensionẽ reliquam esse statuent. Et hoc pacto sapientia id præstat, quod ab artifice fieri non

poterat. Sapientia ergo nititur demõstrarẽ omnium artium ac disciplinarum principia & pronuntiata, quæ philosophi cõplexa nominant: & ab hac, quasi axiomata sua scientiæ mutuantur. Neq; solùm axiomata & principia cõplexa, sed etiã sua genera subiecta quæ contemplantur, suasq; paßiones quæ subiectis insunt, quæ à philosophis principia incomplexa nominantur: quia, ut autor est Aristot. in lib. Metaphysicorum, omnium artium ac scientiarum genera subiecta & paßiones, ab hac sapientia oriuntur, & quasi per quædã additamenta, ut illẽ inquit, constituuntur. Ex his satis constat, quomodo sapientia speculetur prima principia. Sed hæc eadem quoq; est artifex cognoscendi conclusionẽ: quia, ut antea dixi, est habitus ex intellectu & scientia compositus: quapropter est regina, moderatrix & caput cæterarum artium & scientiarũ, non tantùm rationẽ modi cognoscendi rerum naturas, sed etiã quia contemplantur res cumprimis nobiles atquẽ præstãtes, hoc est, prima rerum & cognitionis principia, quæ certè præstant suis conclusionibus: quia eodem modo se habent ad cõclusiones, quo caput ad reliqua membra: caput autẽ præstantius est ijs quæ ab ipso dependent. Itaq; sapientia antiquior et nobilior est scientia, quia eidem sua principia suppeditat ac subministrat. atq; etiam intellectu, quia rationes & causas principiorum

rum

rum cōtemplatur. Perfecta igitur omnibusq; numeris absoluta est hæc sapientia, vtpote quæ nullius alterius ope ad cōprehendendas rerum cognitiones indigeat. Hinc fit vt veteres philosophi nūc ἀνυπόθετον, nunc ἀρχιτεκτονικὴν & diuinam appellarint. ἀνυπόθετον quidem, quia cæteræ omnes scientiæ, & artes vniuersæ, sua principia & esse, et vera esse supponunt, etiamsi cur ita sint minimè cognoscant. Et diuinam, quia contemplatur res suapte etiam natura præstantissimas, easq; neq; generationi, neque corruptioni obnoxias: quales sunt incorporeæ illæ & materia carentes naturæ, quæ semper actu sunt, neq; ex eo in quo sunt statu, exturbari quādoq;, & in alium mutari possunt. Hæ ergo rerum naturæ cùm materia careant, generationis corruptionisue sunt expertes: quia materia est causa mutationis, propter insitā illam vim ac potestatem, semper alterā & alteram formam appetendi suscipiendiq;: atque idcirco vt earum rerum quæ transmutantur, propriè est scientia, ita æternarū sapientia. Præterea dicitur ἀρχιτεκτονική, quia est regina & moderatrix cæterarum artium ac disciplinarū, quemadmodum prudentia virtutum moralium, quibus imperat ac præscribit rectam rerum agendarū rationem. Sapientia ergo (vt eò reuertamur vnde digressi sumus) est composita ex intellectu & scientia: sed intellectus quidem esse

dicitur, quatenus circa principia verum dicit: scientia, quatenus ea quæ ex principijs concluduntur, apprehendit. Sed non sine ratione quærat hîc quispiam: Si habitus omnes, de quibus hactenus disputatum est, genere inter se differunt, quomodo sapientia à mente & scientia distinguatur, cùm sapientia nihil aliud esse videatur, quàm eadem mens ac scientia. An dicendum est, mentem & scientiam non ita esse in sapientia, vt species in suo genere, sed potius ut partes in suo toto? quia sapientia est quoddam compositum ex his duobus habitibus. An verò neque id quidem verum est, quòd sapientia sit totum, & scientia & intellectus, partes? quia diuersa est cognitio sapientiæ, qua principia apprehendit, à cognitione mentis. Mens enim sine medio & ratiocinatione, sapientia cogitatione quadam ea intelligit. Et hæc quidem de habitib. illius animæ potestatis, quæ in rebus æternis ac necessarijs versatur, quantum ad præsens institutum attinet, satis sint disputata: quibus explicandis de industria prolixior fui, vt ipsorum natura penitus perspecta, facilè ad quod hæc nostra Iurisprudentia genus reducenda reuocãdaq; esset, intelligeretur: idq; non difficile erit inuentu, si cæteros animi habitus eodẽ ordine ac methodo prosecutus fuero. Proinde venio iam ad illam animi partem, quæ intuetur res necessarias & contingentes. Et quanquã altera illa

illa uis quæ tantummodo res contingentes apprehen dit, doctrinæ ordine ac tractatione (quòd mediorũ cognitio ex extremorũ disciplina cõparetur) prior sit, attamen cùm non æquè magnam vtilitatem ad rem propositam adferat, lubens priori loco explican dam suscepi, ne cõmutata orationis serie, ordo quoque rerum perturbaretur.

DE OPINIONE.

Potestatem animi, quæ res æternas aut cõtingentes pertractat, prisci philosophi δόξαν *nuncupauerunt, id est, opinionem: ipsiusq; habitum, seu perfectionem, nunc opinationem, nunc opinionem: quia, vt suprà commemoraui, nil mirum videri debet, si quandoq; facultatis potestatisue nomen, ad eiusdem apud autores habitum, ex inopia linguæ & vocum, transfertur. Porrò opinatio nihil aliud est, quàm opinionis quædam affectio & dispositio, qua contemplatur res & æternas, & generationi corruptioniq; obnoxias: easq; vel in nostra potestate, vel extra positas, vniuersales, particulares, certas, incertas, veras aut falsas, cogitatione aut sensu animo ingenerata.*

Est ergo opinatio, opinionis διάθεσις, *id est, dispositio, quemadmodũ scientia cogitationis, & intel lectus mentis perfectio. Perfectio quidẽ est constans & perpetua, difficilè mobilis: at opinatio facilè mobilis est, quia non dependet ex principijs necessarijs,*

neq; cognitio firma est & stabilis; sed cõiuncta cum quadã hæsitatione, & suspicione falsi. Propterea rectè dixit Aristot. nos opinari ea quæ nondum admodum scimus. Multa enim esse opinamur, atq; animo esse concipimus, quæ non planè nobis explorata & cognita esse fatemur: ita tamen nos sentire profitemur, quoad melius nobis visum fuerit. Et quãquam hæc cognitio incerta, habitu confirmata non sit, sed ex persuasionę quadam, aut leui suspicionę genita, animoq; ingenerata, nihilominus tamen potest esse illarum rerum quæ sunt necessariæ & æternæ. Verbi gratia: Si quis opinetur, mundũ esse interitus & ortus expertem, quemadmodũ opinatus est Aristoteles: aut mundos esse infinitos, vt Heraclitus: aut diametrum, proportione responderę lateri figuræ quadratæ: quæ etsi in rerum vniuersitatę non sunt, tamen vt illa quæ sunt, & perpetuò sunt, animo concipiuntur. Neq; verò de æternis solùm, sed etiã ijs quæ generationi & corruptioni obnoxia sunt, multa opinamur, quo vel maximè differt opinio à scientia, intellectu & sapientia, quæ concipiunt res æternas atque perpetuas: vt, si quis opinetur, cras uel perendię venturum Carolum quintum Imperatorem, aut casuras grandines & pluuias, quæ certè aliter euenirę possunt. Sed quæ aliter euenirę possunt, aut sunt in nostra potestate posita, aut non sunt: & in vtroquę generę

generēq́ versatur opinatio seu opinio. Nam si bonam esse artem aliquam aut scientiam, cui nos operam daturos arbitramur, existimemus, tunc opinari dicimur, & opinionem habere eius, quod in nostra potestate est. Rursus cùm rerum quædam sint vniuersales, quædam singulares, de vtrisq; opinionem quoq; concipimus: vt, si omnes homines bonos aut malos, vel Socratem bonum esse sentiamus. Et hæc cogitatio & persuasio, aut certa est aut incerta, vera vel falsa: quæ certè est propria differentia opinionis, qua à cæteris habitibus, qui res veras cōtemplantur, perinde differt, ac consultatio bono & malo. Atq; idcirco dicerēq́ consueuimus, opinionem esse veram, aut falsam, sed consultationem bonam aut malam: quia opinio est propriè earum rerum quæ ad contemplationem cognitionemq́; referuntur: consultatio verò earum quæ ad opus & actiones spectant. Et quemadmodum in cognitionēq́ verū & falsum, ita in consultationēq́ bonū aut malum cernitur. Opinando ergo nemo bonus aut malus dicitur, sed uerax aut mēdax. Et si quispiam opinaretur, aut fortiter esse agendum, aut iustè, aut temperanter, tamen fortis, iustus aut temperans idcirco non est: quia nemo laudatur vituperatúrue, ob bonam malámue opinionem, sed veram aut falsam. Porrò autem omnis opinatio duobus modis oriri ac gigni potest: quandoq; enim ra-

tione & syllogismo quodam, quandoq; sine ratione opinioni aduenit. Ratione quidē nascitur opinatio, cùm cogitatio acceptis à reliquis animæ uiribus principijs quibusdam & propositionibus, conclusionem nectit. Sine ratione, cùm opinio comprehensa aliqua propositione, eaq; vel à sensu, vel ab imaginatione percepta, veram aut falsam esse existimat. Vt perinde se habeat hæc opinatio, ad ignorantiam illam quæ simplex & puræ negationis ab Aristotele appellatur, quemadmodū prior illa, ad ignorantiam prauæ dispositionis, quæ syllogismo cōclusa, animo innascitur. Hæc est natura opinionis & habitus opinandi.

DE CONSVLTATIONE.

Cognita natura opinionis, persequamur illam animæ perfectionem & habitum, qui cōtemplatur res tantùm contingentes, easq; quæ aliter atq; aliter euenire possunt. Hanc Latini consultationem, & habitum cōsultatiuum, seu deliberatiuū, Græci λογισμὸν *appellant, qui hac ratione cōmodè describi poterit:*

Cosultatio est habitus ratiocinatricis animæ facultatis, perquirendi vtilia & idonea agendi, efficiendiue media atq; instrumenta, quæ cùm in nostra potestate sitæ sint, vtplurimum euenire possunt, incerta tamen sunt et indefinita, sed ad certum definitumq; finem adipiscendum excogitata & inuenta.

Cogitatio, quam superiori loco διάνοιαν *appellaui, duas*

ui, duas habet vires: alteras, quibus quid in vnaquaque re verũ sit cernit: alteras, quibus res actioni & effectioni subditas dijudicat ac discernit. Quapropter si veritatis causa, & cognoscendi rerum naturas gratia ratiocinetur, scientiam parit: si agendi & efficiendi, ut bonum aliquod adipiscatur, consultationem gignit, quæ ab Aristotelę νοῦς πρακτικὸς appellatur, quemadmodũ altera illa quæ in cognitionę posita est, νοῦς θεωρητικὸς dicitur. Nam vt huius finis & scopus est cognoscerę, ita illius agerę, & quidpiam efficere. Porrò autem quia omnis consultatio à cogitatione oritur, cuius proprium est ratiocinari et cogitando inquirerę, efficitur sanè vt consultatio sit quædam inquisitio: atq; id quidẽ vel maximè, quia consultatio est aßimilis resolutioni, vel potius quædam resolutio: atqui omnis resolutio est inquisitio, cuius finis est inuentio verorum principiorũ, ex quibus omnis actio & cõtemplatio oritur. Est inquam inuentio, quia posita demonstrationis conclusionę, aut rei alicuius finę, aut effectu, eorum quæ proximè ac continenter ad conclusionis confirmationem adhibita sunt, vel coniunctarum causarum est inuestigatio, deindę illorum quæ proximè antecedebant, tum superiorũ rursus, & ita deinceps aliorum semper perquisitio, donec ad prima principia & elementa ventum sit, quæ amplius in alia resolui nequeant,

ſed ipſa ſint prima. Hanc ergo reſolutionem conſultatio imitatur: quia poſito & conſtituto aliquo fine agendo efficiendóue, inueſtigat & inquirit ea omnia quæ idonea ſunt, & ad acquirendum propoſitum finem vtilia, donec ad principium aliquod cogitatione peruentum ſit, à quo actio ſeu effectio orditur. Siquidẽ, vt rectè inquit Ariſtot. vniuerſæ contemplationis finis, eſt principium actionis: & principium cõtemplationis, eſt finis actionis. quapropter omnis conſultatio, eſt quædam inquiſitio. Dixi, quædam inquiſitio, quia non reciprocantur inquiſitio et conſultatio: quia omnis cõſultatio eſt inquiſitio, ſed non omnis inquiſitio eſt cõſultatio: quandoquidem multa inquirimus, de quibus non conſultamus. Inquirimus enim & perueſtigamus magnitudinem ſolis, ſtellarum, mundi, curſus aſtrorũ, eorundem æternitatem & interitũ, quæ omnia non cadunt in deliberationem & conſultationẽ. Sed de iјs propriè conſultare ſolemus, quæ poſita ſunt in noſtra poteſtatẽ, quæq́ efficere aut non efficerẽ poſſumus. Ex quo id liquidò conſtat, cur conſultatio non ſit ſcientia, aut intellectus, aut ſapientia: nam quod ſcimus & intelligimus, id non quærimus: & cognitio non eſt inquiſitio: atenim id de quo conſultamus, inquirimus, & conſultatio eſt inquiſitio. Iam verò inquiſitio eſt in generẽ relatiuorum, quia eſt alicuius rei inueſtigatio ac

tio ac perquisitio. Inquirimus autem ea omnia quæ non poßidemus, vel de quibus dubitamus. At nemo de fine dubitat, aut finem inuestigat: siquidem quis sit ille, artifex iam nouit. Propterea consultatio de fine instituenda non est, sed potius illis, quæ cùm ad finem pertineant, ignorantur, & ab artificib. exquiruntur, exquisitaq; ad eundē destinātur. Etenim neq; medicus, an sanare: neq; orator, an persuadere: neq; legislator, an legibus rempub. instituere debeat, secum animo cogitat & deliberat, sed quomodo, & quibus medijs ad propositū finem perueniat, ratione perpendit: siq; plura sint quæ ad vnum finem referantur, per quæ facillimè & tutißimè id fieri poßit: aut si vna tantū efficiendi agendíue via sese cogitāti offerat, qua ratione ea vtendum sit, animo ratiocinatur. Verūmenimuero eorum quæ quæruntur, duplex est modus. Nam interdum quæruntur instrumenta, quibus res propositæ perficiantur: interdum verò ipsorum instrumentorum vsus, vt quid, quantum, quomodo, quando, & vbi, hoc vel illo instrumenti genere vtendū sit, intelligatur. Exempli causa: Imperatores quandoq;, equestribus an pedestribus copijs hostes inuadendi sint, secum deliberant: quandoq; quo modo pedestribus aut equestribus copijs ad potiendam victoriam vti debeant. Sic medicus, nunc de instrumenti genere; pharmaciáne an

chirurgia, aut ratione victus, æger curandus sit, nunc verò quomodo & quando exhibendum pharmacum, vel secanda vena, vel exhibenda sit ægro cœna, expendit. Et magistratus interdum de præmij aut pœnæ genere, interdũ de horum vsu deliberat. Porrò autem siue de instrumentis, siue ipsorum vsu quæstio sit, ad mediorũ inquisitionem, non finis (vt antea dixi) referenda est. Sed hæc instrumenta, & media, nihil aliud sunt, quàm actiones, quibus finem propositum adipisci nitimur. Etenim consultamus, quomodo vnumquodq; vtiliter et cõmodè agamus & efficiamus. Sed actiones sunt genere diuersæ & contrariæ: quædam enim fieri possunt, quædam fieri non possunt. Non possunt autem fieri illæ, quæ vel in rerum natura omnino non sunt, vel quæ cùm factæ sint, amplius effici nequeunt, veluti res & actiones præteritæ. Sed qualesquales sint hæ actiones, nõ possunt cadere in contemplationem artificis: de eo nanq; quod non est, nemo consultat. Ne longius abieris, si quis consultare vellet, vtrum cœlum (quod de Gigantibus poëtæ fabulantur) nobis sit expugnandum, aut quomodo alicui volandũ sit, quod de Icaro dicitur, nónne ab omnib. iure optimo rideretur? Sed huius quidem rei euidentißimũ argumentum esse potest id, quòd cùm de rebus consultamus, & in aliquam quæ fieri nequeat, incidimus, statim ab ea abstine-

abstinemus, & tandiu nobiscum cogitamus, donec in rem, quæ quauis ratione fieri posse existimatur, incidamus, eamq́ nulla tẽporis interposita mora (siquidem apud nos ita conclusum sit) alacri animo et cõfidenti aggredimur. Quapropter ex his constat, de ijs tantùm actionibus homines consultare ac deliberare, quæ fieri possunt. Neq; verò de his omnibus, quoniã ipsarum aliæ sunt quæ per se & suapte natura, aliæ quæ ex accidenti eueniunt. Quæ ex accidenti eueniunt, aut casu, aut fortuna fiunt, itaque de his minimè consultamus, quia non sunt in nostra potestate positæ, neq; à nobis effici aut nõ effici possunt, sed temerè citra naturæ aut cogitationis propositum electionémue eueniunt. Quis enim de thesauro inueniendo, fodiendi tantùm gratia accessurus, aut in forum quidpiam emendi causa iturus, inimicum fortasse obuiam factum gladio interimendũ, secum deliberaret? Quinimò propterea fortuna euenire hæc omnia dicuntur, quia nobis ignorantibus, & aliud cogitantibus obueniũt. Deliberant igitur omnes homines de ijs quæ per se & suapte natura euenire consueuerunt. Sed eorũ quæ per se fiunt, alia à natura, alia ab hominibus aguntur. A natura illa fieri dicuntur, quæ aut semper ac perpetuò, aut raro efficiũtur. Quæ perpetuò fiunt, alia sunt posita in quiete, & alia in motu. Horum ergo omnium quæ à natura fiunt, nul

la est consultatio aut deliberatio, quæ quanquam fieri possunt, in nostra tamen potestate sita non sunt: quia nullus, vtrum mundus sit æternus, genitus, an ingenitus, secum deliberat: neq; etiam de ortu stellarum, occasu siderũ, solstitijs, anniq; temporibus, quæ vicißim & perpetuò mutantur: neq; ijs quæ rarò et indefinitè accidunt, vtrum videlicet hac die Cometæ sint appariture, aut pluuiæ & niues casuræ. Et si quandoq; de his deliberamus, tamen non propterea id facere nos existimo, vt fierine à nobis, an non fieri poßint, quæramus, sed si euenerint, quid agendum nobis sit (siquidem ex re nostra, & ad nostram vtilitatem pertineant) intelligamus, aut quid omittendum, si damno futuras prospiciamus: veluti si grandinis & pluuiarum impetus ac tempestates præsentiendo effugiamus. Iam verò neq; omnium eorum, quæ ab hominibus aguntur, consultatio esse potest: quædam enim à nobis ipsis, quædã ab alijs aguntur. Sed de illis quæ ab alijs efficiuntur, nullus vnquã sanæ mentis deliberat: vt, Lacedæmonij non consultant, quomodo Atheniensibus sit administranda respub. aut Athenienses, quomodo Lacedæmonijs: propterea quòd neq; Lacedæmoniorũ reipub. administratio in Atheniensium, neq; Atheniensiũ in Lacedæmoniorum potestate sita est. Reliquũ igitur est, de illis tantùm consultare homines solere, quæ ab ijs

effici

effici possunt, & quarum rerum principium agendi in ipsis est positum. Porrò principium agendi duplex in homine cernitur, ratio & appetitus. Appetitus iram & cupiditatem complectitur. Appetitus ergo non consultat, quia ratione & cogitandi vi destituitur, quæ est causa effectrix cõsultationis. Sed quemadmodum appetitus nõ consultat, ita quoq; de ipsius actionibus nulla solet institui deliberatio & consultatio, quibus adscribi possunt & vitales et naturales corporis functiones, quia nullus de incremento, decremento, concoctione cruditatéue cogitat, sed ijs quæ à mente & ratione proficiscuntur actionibus. Atenim actiones mentis, vel mens humana, aut res cõtemplatur, aut efficere nititur. De contemplatione rerum, ijsq; omnibus quæ ad cognitionem pertinent, nullo modo deliberamus, vt de scientijs earũq; preceptis ac theorematibus: quia scientiæ & præcepta scientiarũ sunt certa & determinata, &, vt inquit Aristoteles, vndiquaq; perfecta: at consultatio est quædam inquisitio, cum dubitatione coniuncta. In scientia nil incerti nil dubij inest, sed omnia sunt necessaria: quia scientia vtitur rationibus necessarijs, quæ aliter se habere nõ possunt: & definitis, quæ non cadunt in fortunã, aut dubitationem. Quapropter nullus consultat vtrum trigonus habeat tres angulos duobus rectis pares, aut vtrum mundus sit ro

tundæ figuræ. Atq; idcirco patet, nos de ijs tantùm deliberarę & consultare, quæ facere aut non facere consueuimus, quæq; in nostra potestatę & arbitrio vt fiant, an non fiant, posita sunt: deniq; à nobisipsis effici possunt, quorum etiam est electio: nam προαίρεσις & consultatio ijsdem in rebus versari solent: quia electio est conclusio consultationis ac deliberationis, quemadmodum syllogismi & ratiocinationis vltima propositio. Quanquam verò de ijs consultemus quæ à nobis fieri cõsueuerunt, interdum tamen fieri potest, vt de ijs quoq; deliberemus quæ ab amicis efficiũtur: etenim quæ per amicos fiunt, quodammodo à nobis fieri existimantur, quippe cùm principium & causa quæ amicos ad rem faciendam incitat, in nobis sit, quòd rogantib. nobis id fiat, quod petimus: aut non fiat, non petentibus. Porrò omne id quod fit, aut raro, aut sæpe fieri solet: electio ergo tractat illa quæ sæpe, & plerunq; eueniunt, quæq; euentus habent incertos & indefinitos: quapropter & cõsultatio, quæ antecedit electionem, vt causa suum effectum: nam de ijs quæ raro accidunt, & fortuna aut casu eueniunt, consultat nemo, vt exemplo medicinali ostendi potest. Non enim si quis semel sumpto veneno conualuerit, illicò medicus consultabit, vtrum ægrotantibus idem sit exhibendũ propinandúmue, sed de ijs quæ plerũq; vel obesse uel prodesse

corpori, experientia didicerit. Consultamus itaq; de ijs quæ vtplurimũ eueniunt, & euentus habent incertos: hoc est, quæ non semper necessitatę reguntur, sed fortuna adiutrice indigent. Cuius rei signum est, quòd quandoq; ad cõsultationem rerum arduarum ac difficilium, ex quibus ingens periculum damnúm ue nobis imminerę timemus, aut cõmodum aliquod euenturum speramus, nostra deliberationę minimè freti, alios in consilium adhibemus, non quòd id, de quo consultamus, in nostra potestate situm non sit, sed periculosum vel difficile, si non rectè consultando quod optimum et aptissimum est ad efficiendum, elegerimus. Quapropter rectè dixit Aristot. nos magis deliberarę de artib. quàm scientijs, quomodo videlicet discenda sit ars medica, aut mercatoria, non quomodo mathematica aut theologia: quia artium & scientiarum præcepta alia sunt magis æterna & perpetua, alia minus. Huc accedit, quòd multæ artes quandoq; suo fine frustrantur, at scientiæ nunquam, vel certè raro. Sed si consultamus de rebus incertis, efficitur quoq; vt de ignotis: quia nota & manifesta non inquirimus, sed ea iam possidemus: alioqui dicendum esset, in infinitũ progredi homines cõsultando, quod fieri nequit. Ex his ergo perspicuum est, in quibus versetur omnis deliberatio, ijs videlicet quæ aliter atq; aliter contingerę possunt, & euentus ha-

bent incertos. Verumenimuero huius rei gratia consultatio opinio non est, & cõsultabile opinabile: principiò quidem, quia opinio vero & falso, consultatio bono & malo distinguitur: nam opinio vera aut falsa, consultatio mala aut bona esse dicitur: & quemadmodum se habet opinio vera, ad bonam consultationem, ita falsa opinio, ad malam consultationem. Deinde non solũ opinamur ea quæ à nobis, sed etiam quæ à natura alijs've causis efficiuntur: at deliberationem de ijs quæ natura eueniunt, minimè instituimus. Consultamus præterea de rebus, quas postea eligimus: eligimus autem eas quas consequi vel effugere possumus. Opinamur contrà quid vnumquodq; sit, aut cui, aut quomodo conferat, non vt fugiamus aut cońsequamur: cuius rei signum est, quòd multa bona esse opinamur, quæ tamen nõ appetimus, quinimò contraria quandoq; eligimus. Multi enim iustitiam & virtutes opinantur res esse honestas & vtiles, de iniustis tamen actionibus, quibus maius commodum sese adipisci posse sperant, deliberant, easq; actiones expetunt, & in societate hominum exercent. atenim nemo aliquid eligit aut expetit, de quo prius non consultet. Iam verò opinio suapte natura falli potest ac decipi: cõsultatio ex accidenti tantùm, hoc est, ratione earũ rerũ de quibus deliberat, quemadmodum & ars & prudentia. Rursus, consultatio est in-

est inquisitio rei efficiendæ aut agendæ: opinio, inquisitio non est, sed potius status & quies animi. Præterea opinio est assensio quædã mentis, alterius partis contradictionis in oratione: consultatio nullius determinatè, sed vtriusq; ex æquo, quia confert vtilia cum vtilibus, aut honesta cum inhonestis, eaq; quæ ad propositum idonea accõmodataq; esse cognouerit, demum eligit: quam electionem sequitur vsus, qui non est consultationis. Postremò, opinio & habitus opinandi pertinet ad dialecticum, consultatio ad artem & prudentiã. Ex his iam patet quid intersit inter consultationem & opinionem: quapropter redeo ad id vnde digressus eram. Consultationem dixi esse quandam inquisitionẽ, & animi motum qui ratiocinãdo perficitur. Sed omnis ratiocinatio ab aliquo efficiẽte gignatur necesse est, quia nullius rei, causa remota, origo reperiri potest. Instituitur ergo et suscipitur hæc cogitatio & perquisitio ab homine ratione ac mente prædito, seu vt significantius dicam, viro prudente, qui instructus est recta ratione: nam prudentiam hoc loco appello rectam rationem, quæ præscribit artifici modum agendi efficiendíue, et inueniendi media atq; instrumenta, ijsq; cõmodè vtendi: cuius rei argumentum est, quòd stulti, insani, & pueri, consultare non possunt, quia destituuntur ratione & vi cogitandi, quæ opifex est consultationis:

atq; idcirco neq; consultabile id appellare consueuimus, de quo aut stulti, aut mente capti deliberant. Huc accedit, quòd illi nullo proposito fine & scopo omnia efficiunt, ac pro diuersitate affectuũ quibus reguntur, in diuersas animi perturbationes sine iudicio rapiuntur: at consultatio, finis alicuius gratia suscipitur, & qui consultant, boni alicuius causa consultant: boni inquam quod iam fixum est & immobile, quo posito & constituto tanquam extremo, inquirunt omnia instrumenta & media, quibus actione id quod expetiuerunt, consequantur potianturq́;: quapropter eo potiti conquiescunt in consultando.

DE PARTIBVS CONSVLTAtionis, & natura Artis.

Porrò autem omnis consultatio, aut operis aut actionis alicuius gratia suscipitur: etenim multũ inter se distant opus & actio, & efficere & agere, quemadmodum cõmunis omnium hominum testatur cõsensus. Quis enim est qui nesciat, aliam esse musici, & aliam ædificantis actionem? nam actio musici finis est, & propter se expetitur: at ædificatoris, nõ propter se, sed propter opus quod ex actione fit: quia huius actio ad aliquid est, & alicuius gratia fit, verbi causa, ipsius domus, quæ diuersa est ab actione artificis. atq; idcirco actio, ædificantis finis non est, sed antecedens finem, quia destinatur ad domũ: quemadmo-

admodum ſutoris actio refertur ad calceum, et artis fabricandæ nauis, ad nauem, & textoriæ ad pannũ: quæ certè opera ſunt, & quieſcentibus artificib. poſt actionẽ permanent: ſed actionę intereũte, finis quoque aliorum habituum interire ſolet, qui in eadem verſantur: quia non relinquunt aliquod opus, quod ceſſante operationę oſtendere poßint: quemadmodum viderę eſt in arte certandi curſu, & ſaltatoria, & mimica, et muſica, quæ certè omnes præter actionem nihil cõtinent, ſed vnà cum actionę intereunt. Quapropter differre dicendum eſt actionem & effectionem, quia habent fines diuerſos, opus inquã, & actionem. Sed diuerſarum generę actionum, diuerſos quoq; ac diſsimiles habitus, quorũ alter in actione, alter in effectione verſetur, eſſe neceſſe eſt, qui nõ eo modo diſtinguantur, quo genus à ſpecie, vt alter ab altero cõtineatur, ſed potius vt ſpecies & formæ diuerſæ, vno generę contentæ: quandoquidẽ fieri ne queat, vt actio effectionem, aut effectio actionem comprehendat. Atq; idcirco Ariſtot. rectè alterum appellauit habitum πρακτικὸν, id eſt, actiuum, alterum verò ποιητικὸν, id eſt, effectiuum: ſed habitum actionis, prudentiam, effectionis artem conſtituit. Vtrunq; tamen, perfectionẽ τῆς διανοίας πρακτικῆς. eſſe pronuntiauit. Ars ergo nihil aliud eſt, quàm habitus conſultatiuus, recta rationę quidpiam effi-

ciendi. Habitum consultatiuum Aristoteles, vt antea dixi, quandoq; λογισμὸν, quandoq; νοῦν πρακτικὸν appellat, quia ratiocinatur non cognitionis, sed actionis & effectionis gratia: quo fine distinguitur à mente contemplatiua, quam νοῦν θεωρητικὸν nuncupaui. Ars igitur consultat de opere efficiendo: quia non solùm agit, sed etiā opus aliquod efficit, quod intereunte actione ostendere potest: atq; idcirco distinguitur ab habitu actiuo, cuius finis est actio ipsa, quæ non refertur ad aliud, qualis est actio prudentiæ: prudentia enim nō efficit aliquod opus, sed in sola actione cernitur, quæ bona est et vtilis societati humanæ. Et si videatur aliquando prudentia post actionem quidpiam relinquere, certè id per se non fit, sed alia quadā ratione, vt in ipsius naturæ explicatione manifestius ostendetur. Cùm ergo artis proprium sit efficere, & omnem effectionem præcedat inuentio, & inuentionem inquisitio, necessarium certè erit, efficienda artificē prius adinuenire, & adinuenta, antea contemplari: nam quemadmodum contemplatio principium est in inuentione rerum, sic effectio finis. Quapropter rectè dixit Aristoteles, artem cerni in generatione, inuentione, & contemplatione rerum. Generatione quidem, quia ars est imitatrix naturæ, quæ generat & efficit res. Verùm ars non eadem ratione gignit res, qua natura, sed dissimili &

re &

re & modo. Natura enim formas substantiales, quæ suapte vi nituntur, efficit: ars accidentales (vt ita loquar) & aduentitias effingit. Et quemadmodum natura, est principium internum, & vis quædam abdita ciens motus in corporibus necessarios, ita ars est principium externum, circa formas aduentitias & superioribus rerum superficiebus, quas figuras appellant, hærentes, occupata, quas prius contemplando & inuestigando ad naturæ imitationem efficit, quæ sua opera non cognoscit, aut contemplatur, sed perpetua quadam insitaq́; ipsi lege, res & formas rerum, sibi semper similes producit ac gignit. Et quia ars res aduentitias & externas tantùm consectatur, ob id iudicabat Agatho fortunam & artem esse valde coniunctas, quum quia ambæ sunt externæ rerum causæ, tum verò quia relinquunt diuersum ab actione opus. Attamen non parùm differunt inter se, quia ars & artifex vtplurimùm propositum finem consequuntur, fortuna nunquam: quia fortunæ scopus est temerarius, qui nunquam consilium & propositum artificis comitatur. Cuius rei signum est, quòd & si quidpiam fortuna inuentum esse dicitur, id tamen totum rationę & consilio, quæ propria sunt artificis, carerę arbitramur: atquę idcirco Aristoteles fortunam in libro Physicorum ad causas quæ ex acci-

accidenti euenire consueuerunt, retulit. Separanda ergo nobis ac discernenda ars à natura & fortuna: neq; solùm ab his, sed etiam à cæteris animi habitib. de quibus suprà dictum est. Distinguitur autem ars à scientia, intellectu & sapientia: quia hæ nihil efficiunt, sed effecta contemplantur: & rerum sunt necessariarum, quæq; aliter euenire non possunt: atque ars, vt nuper dixi, est effectrix formarum artificiosarum, quæ aliter atq; aliter fieri possunt, nec sunt perpetuæ & æternæ. Eadem quoq; differt ab opinione: quia opinio non solùm est earum rerum quæ à nobis, sed etiam quæ à natura aguntur. Deinde opinamur quandoq; res necessarias, at efficimus quæ aliter tantùm euenire consueuerunt. Iam verò opinio suapte natura potest esse falsa, & is qui opinatur, mentiri ac decipi: sed ars, & in vniuersum omnis habitus qui in consultando positus est, suapte vi falli nequit, sed est semper verus, quia regitur & gubernatur recta ratione, quæ expers est omnis erroris ac ignorantiæ.

Sed hîc opportunè roget quis, quomodo ars & prudentia nunquam mentiantur aut errent, & semper profiteãtur res veras ac necessarias? cùm tamen superiori disputatione nihil aliud demonstratum sit, quàm artem & consultationem cognoscere res, vt vocant, cõtingentes, quæ aliter euenire queant, atq; idcirco fieri posse vt aliquando à fine proposito aberrent,

rent, eoq́ frustrentur: quod si non concedatur, res quoq; necessarias ac perpetuas eas contemplari faten dum est, quod pugnat cum ijs quæ iam sunt posita. Si ergo cõtemplantur res mobiles & aduentitias, quomodo non decipiuntur, & à vero, specie recti quan doq; delusæ, aberrant? cùm veritas orationis rerum naturã consequatur, & vicissim natura rerum orationis veritati respondeat, ita quidẽ, vt si rerum natura constans sit & æterna, earũ quoq; comprehensio & cognitio sit perpetua, immobilis & æterna: si inconstans & mobilis, & cognitio eiusdem naturæ habeatur. Sed hunc in modum interroganti, nõ vna ratione responderi potest: quia veritas & mendacium duob. modis intelligi possunt: aut ratione ipsarum rerum, aut ratione potestatis seu habitus & cognitionis: rerum quidem, cùm res ipsæ in causa sunt cur cognitio vera aut falsa, constans aut mobilis sit: cognitionis verò & habitus cognoscentis, quum res quidem veræ aut falsæ sunt, sed cognitio aut vis aliqua mentis, rem æternã pro corruptibili, falsam pro vera eligit & cõcipit. Scientia igitur, intellectus & sapientia, sunt habitus æterni & constantes vtroq; rationis modo, tum quia neq; sibijpsis causam erroris et ignorãtiæ præbent, tum quia intuentur res semper veras & æternas: & quemadmodum res quas contemplantur sunt perpetuæ, ita etiã cognitio ipsa-

rum, semper vera est & perpetua. Atq; ars & prudentia, & in vniuersum habitus cōsultandi omnis, qui recta ratione & iudicio suscipitur, quandoq; sine proposito frustratur. Sed non habitum ipsum huius mendacij causam esse existimandum est, sed rerum ipsarum naturam, quæ minimè firma & stabilis est, sed aliter euenire consueuit. ac proinde cognitio quidem per se vera est, quia nititur recta ratione, quæ suapte natura falli non potest: sed efficitur falsa & mendax, ratione rerum quas tractat. Exempli gratia: si medicus qui sanitatem corpori humano restituere nititur, nihil eorum quæ fieri ars præceperit, omiserit, sed & ipse, & æger, & adstantes, cæteriq; omnes suo officio probè fungantur, nihilo tamen magis ægrotus curetur & conualescat, sed moriatur. Rursus, vir prudens, aut quilibet alius artifex diligenter futuri operis constructionem perpendat, ac diligenter omnia secum examinet discutiatq;, in opere tamen à proposito fine turbetur: certè non est medicus, aut artifex qui cōsultat accusandus, sed rerum ipsarum, & instrumentorū interdum quibus vtitur natura, quæ aliter euenire, ac mutari perpetuò solet. Propterea Demosthenes cùm vitio ei daretur, quòd ea quæ Atheniensibus consuluisset, minimè euenissent, ita obiectum crimen ingeniose diluit, inquiens, neminem de futuris certi aliquid prædicere aut

re aut consultarę posse: rerum futurarum instabilitati, quod in ipso reprehendebatur, adscribens. Sed opinio, & illa quæ Græcis ὑπόληψις, id est, suspicatio seu existimatio dicitur, nō tantum ratione rerum quas concipit, sed suapte natura mentiri solet: ac ratione quidem rerum, cùm id quod non semper est, esse tamen opinatur: & sui, cùm id quod omnino non est, esse tamen putat: nam hoc in loco ipsa sibimet est causa erroris & ignorantiæ: veluti si quis remum in aquam demersum, fluctuante aqua existimet esse inflexum aut fractū, visione tamen decipiatur. An id quoq; verè dici potest, prudentiam & artem vera & recta dicerę, sed nō eadem ratione, qua intellectus, scientia, & sapiētia? quia intellectus & cæteri habitus, semper veritati rerū innituntur, ars & prudentia vtplurimū: quippe cùm earum rerum propriè sit consultatio, quæ plerunq;, & non semper, eodem modo euenire consueuerunt. Quapropter rectè Cicero inquit, omnes artes cōiectura niti, vltra quā progredi non possunt. Ea fallit fortasse nōnunquam, sed tamen ad veritatem sæpissimè dirigit: est enim ab omni æternitate repetita, in qua cùm penè innumerabiles res eodem modo euenirent, iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem sæpe animaduertendo atq; notando. Quare ob id veræ putandæ sunt artes, quia plerunq; veritatem rerum profitentur, &

rarius à proposito fine diuertunt. At opinio sæpissimè fallitur, quinimò ex æquo versatur in cōprehensione veri & falsi. Quanquam id quoq; sæpe vsu uenire soleat, vt artificum errores, in artem eiusq; præcepta reijciātur: quod certè ab imperitis non raro fieri solet, dum artium præcepta ex hominū moribus & ingenijs metiuntur, atqueadeo vitia personarū, præceptis non rectè vtentium, scientijs adscribunt. Quid enim, medicina ars non putanda est, quia medicū multa subterfugiūt, multaq; latent? quid? num imperatorū scientia nihil est, quia multi amisso exercitu, hostium fraudibus superati sunt & extincti? aut num propterea nulla est Iurisprudentiæ docendæ, aut administrandæ reipub. ratio, quia multa barbaros homines, omnisq; grauioris cultiorisq; eruditionis expertes latuerunt? aut multa grauissimos senatores in actione rerum fefellerunt? Dicendum est igitur, artem & prudentiā, omnem deniq; consultandi habitū, certis quibusdam coniecturis niti, quæ certè perraro fallere solent: atq; idcirco vt nūquam errare ac decipi, solius Dei, ita perquàm raro, hominis & artificis proprium, statuendū existimo. Quod & Galeno placuit, qui cùm de arte medica loqueretur, sic inquit: Ille melior, qui minus errat. Ex his patêre arbitror, non exiguum esse discrimen inter artem, prudentiam & scientiam, intellectum, sapientiam

tiam atq; opinionem. Artis enim proprium est efficere aliquod opus, nõ agere aut cognoscerẽ: opus inquam quod aliter fieri poterat. Cùm ergo ars contempletur aliquod opus efficiendum, efficiet sanè aut immutando res, aut adijciendo, aut detrahendo & adimendo. Transmutando quidem, vt ars omnis quam πλασματικὴν vocãt, quæ formas rerum ac figuras materiæ mutationẽ imitari conatur, veluti sunt artes statuariæ. Adijciendo & detrahendo, vt ars texendi, ædificandi & medicandi, & cæteræ innumeræ artes, quæ ad corporis conseruationem ab hominibus sunt inuentæ. Quapropter Hippocrates medicorum princeps, artem medicam nihil aliud esse dixit quàm πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν, id est, ablationem & additionem: nam medicus aufert ea à corporẽ, quæ superuacanea sunt, & restituit additáq; necessaria. Est igitur ars habitus efficiendi aliquod opus. Sed non satis est arti & artifici aliquid efficere, nisi id rectè etiam fiat: alioqui nihil interesset inter imperitum, & artis aut scientiæ rudem, & peritum artificem: nam & imperiti efficerẽ aliquid possunt, sed tamen non rectè, sed fortuitò & temerè. Quare & artifex rectè efficienda contempletur, debitaq; & idonea inueniat media & instrumenta: deniq; ut sine errorẽ efficiat, recta ratione indiget, quæ viã ac modum artifici præscribat, omnia ad destinatũ finem di

rigendi perducendiq́;. Etenim recta ratio, est quædã norma & regula dijudicandi res omnes, earumq́; vsus & opportunitates: qua qui carent, in varios et inextricabiles errores incidant necesse est. quinimò hac re sola differt ars ab ἀτεχνία, *quam quidam inertiam, quidam imperitiam vertunt: quòd ars sit habitus, quidpiam recta rationẽ: imperitia, falsa ratione opus aliquod efficiendi. Nam imperitia duob. modis concipi potest: aut pro omnimoda artis priuatione & negatione, quæ assimilis est ignorantiæ, quam Aristot. primo Posteriorũ Analyticorum,* τὴν κατ᾽ ἀπόφασιν *nominat: aut pro illa imperitia quæ oritur ex praua quadam animi dispositionẽ, quæ similis est ignorãtiæ* τῆς κατὰ διάθεσιν. *Sed imperitia quæ secundũ habitum dicitur, longè magis opponitur arti, quàm altera illa quæ negationis est: quemadmodum etiam ignorãtia* κατὰ διάθεσιν, *vehementius pugnat cũ scientia, quàm quæ* κατ᾽ ἀπόφασιν *nominatur. Et hæc quidem de natura artis satis sit hoc loco disputasse.*

DE PRVDENTIA.

Venio nunc ad alteram consultationis partem, quam dixi versari in actione bona & vtili, quæ propriè appellatur prudentia: de qua fusius dicendum est, vt ex huius virtutis cognitionẽ, Iurisprudentiæ natura planissimè intelligatur. Itaq; prudentia non vna & eadem semper concipitur rationẽ apud ve-

teres

teres scriptores: interdum enim (vt autor est Plutarchus) accipitur pro qualibet cognitionę, & diligenti rerum omniũ consideratione ac præscientia: qua significationę dicere consueuimus, Deum opt. max. esse prudentem: nam hoc in loco per prudentiæ nomen, nihil aliud intelligimus, quàm vim cognoscendi, prospiciendi, prouidendiq́ eius quod futurũ est: quam prouidentiam nominant. Aliquando hæc eadem vis, attribuitur brutis animantibus, quæ quasi imitantur superiorem illam Dei prouidentiam: qui a habent in traducenda vita (vt Aristoteles inquit) δύναμιν προνοητικὴν, quæ nihil aliud est, quàm extrema quędã rationis nota, à natura insita, qua quid bonum & vtile ad vitam transigendam futurũ sit, prospiciunt animalia. Propriè tamen prudentem appellamus eum, qui de rebus bonis et vtilibus quæ ad hominem pertinent, & societatem humanam conseruant ac custodiunt, cõsultare ac deliberarę potest. Et prudentiam nihil aliud esse dicimus, quàm virtutem æstimatricis animæ partis, memoria, experientia & industria comparatam, bona humana, quæq́ ad felicitatem huius vitæ adipiscendã pertinent, considerantem, rectaq́ cum ratione actiuam, bene consulentem, solerter iudicantem, & quæ consulta atq́ inuenta fuere emendationę indigentia, corrigentem ac dijudicantẽ. Virtus nihil aliud est, quàm vniuſ-

cuiuſque rei naturæ ſumma perfectio: quia tum ipſum, cuius eſt virtus, rectè affectũ reddit, tum ad opus bene obeundum inſtructũ atq; paratum efficit: quod proprium perfectionis eſſe iudicatur. Sed perfectio, alicuius rei eſt perfectio & abſolutio. Erit ergo prudentia perfectio, & perfectio quidẽ animæ: animæ autem, aut totius, aut partis. Totius verò animæ perfectio eſſe non poteſt, quia ea, vt aliàs à grauiſſimis autoribus demonſtratũ fuit, eſt iuſtitia. Partis ergo perfectio eſt. Sed anima noſtra, ex Plat. & Ariſtotelis ſententia, tres habet partes, quas nunc vires, nunc poteſtates & facultates nominant. Alia enim ipſius pars eſt, qua diſcimus, resq; apprehendimus et dijudicamus, quam τὸ λογισμὸν Græci vocant: alij æſtimatricem vertunt. alia verò, in qua ira reſidet, omninoq; vis quædam effera, quæ θυμοειδὲς dicitur: Latini animoſam appellant. Tertia autẽ, quæ quòd varia ſit & multiformis, cùm vno nomine appellari nequeat, ab eo quod in ipſo eſt excellens & vehementiſſimum, cupiditas nimirum, & τὸ ἐπιθυμητικὸν dicitur. Sed quemadmodum tres ſunt animæ partes, ita tres quoq; ſecundũ partium numerũ virtutes ac perfectiones, & quartam inſuper ipſius totius, tanquam vnius rei rationẽ, priſci philoſophi eſſe conſtituerunt: quandoquidem arbitrabantur diuerſarum generẽ rerum, diuerſas quoq; perfectiones

eſſe

eſſe oportere. Porrò autē vniuſcuiuſq; rei perfectio (vt autor eſt Plato in libro de repub.) duplex eſt, quemadmodū & actio: altera, quæ per ſe & in ſua natura ſpectatæ rei, altera quæ ad aliud relatæ, competit. Exempli gratia: Hominis alia eſt virtus, & actio & perfectio, qua homo eſt abſolutè: & alia, qua dominus, aut ſeruus, aut filius, aut pater. Quapropter cùm animæ partes eadem rationē duobus modis cōcipi poſſint, aut in ſua natura, aut ad alterum relatæ, diuerſas etiam ex vtriſq; perfectiones virtuteſq; gigni neceſſe eſt. Idcirco veteres philoſophi virtutes partium animæ abſolutè conſideratarum abſolutas, relatarū verò, σχετικὰς nuncupauerunt. Porrò σχέσις & relatio harū trium animæ partium nihil aliud eſt, quàm imperium quoddam, quo earum aliæ imperare, aliæ parêre dicuntur. Sed imperium duplex eſt, alterum herilē & δεσποτικὸν, & alterum πολιτικὸν, id eſt, ciuile. Herile imperiū eſt, quo anima corpori, ut dominus ſeruo imperat, qui totus eſt alterius, hoc eſt, domini. Ciuile eſt, quo animæ pars, quæ ratione prædita eſt, cæteris inferioribus partibus, iræ videlicet et cupiditati, vt rex ſuis ſubditis, aut pater ſuis liberis dominatur. Quare omnium harum partium ſeu virium, & abſolutas & σχετικὰς virtutes perfectioneſq; inueniri conſtat: alias quidem quæ eatenus ipſis cōueniant, quatenus per ſe &

in sua natura spectantur: alias verò quatenus ad se mutuò referuntur. Plato & Aristoteles & vniuersa schola priscorum philosophorũ, adiudicauit æstimatrici animæ parti, quæ in cerebro residet, et cognitionis est particeps, per se spectatæ, intellectum, scientiam, sapientiam, & bonam opinionem: de quarum virtutum natura satis antea dixi. Irascibili, quæ in cordę posita animæ pars est, naturalem quandã fortitudinem, cuius proprium sit, se robustam & inuictam præstare, confligere, omniaq; obstantia profligare, sibiq; potenter et violenter subijcerę, cuiusq; finis victoria sit. Tertiæ potestatis, cupiditatis inquã, quæ in hepate cernitur, virtutem, appetentiam voluptatum esse pronuntiarunt. Et hæ quidẽ perfectiones ab ijsdem appellãtur absolutæ. Aliæ verò, vt nuper admonui, oriuntur ex mutua partium habitudine, qua ad se inuicem sunt affectæ. Etenim ipsarum aliæ natura sua factæ sunt, & datæ homini ad gubernandas compescendasq; inferiores animæ vires: aliæ semper ad parendum idoneæ: tertiæ nunc ad parendum, nunc ad imperandum genitæ. Natura sua idonea est ad imperandũ, vis rationis particeps, quam τὸ λογιστικὸν appellaui: ea enim melior est & nobilior cæteris partibus: atq; idcirco ipsius perfectio prudentia dicitur. Subdita tantùm vis est concupiscendi potestas: quæ cùm duplices motus habeat, alteros quidem

dem rationẽ corporis in quo consistit, alteros verò eius quo id conseruetur: duas etiam habet χιλικὰς virtutes, alteram ἀπολαυστικὴν, & alteram πορισικὴν. Itaq; τῇ ἀπολαυστικῇ, quæ fruitioni præest, frugalitas & temperantia, quæ in moderandis cupiditatibus & corporeis voluptatibus cernitur: πορισικῇ verò, id est, quæstuosæ, illa particularis iustitia, quæ virtus quædam est media inter πλεονεξίαν, id est, immodicam pecuniæ auiditatem, & μειονεξίαν eidem contrariam, attribuitur. Quanquã & tertiam quandam huius partis virtutẽ esse arbitretur Iustus Velsius præceptor meus, ijs in libris quos in Cebetis Thebani tabulam nuper admodum eruditos conscripsit, eamq; δαπανητικὴν seu ταμιευτικὴν nominat, cuius perfectio sit liberalitas, nõ illa politica virtus, sed quæ intra animum cernitur. Quapropter si quis exactam harum omnium virtutum diuisionem cognoscere desiderat, is legat quæ ab illo grauiter et copiose ijs libris sunt disputata: neq; enim nostri instituti est hæc diligentius & exactius persequi, sed potius quæ ab alijs scientificè demonstrata sunt, loco ὑποθέσεως subijcere. Porrò animosa hominis pars, nõ tãtùm rationi recta præcipienti obtemperat, sed etiã cupidineæ facultati imperat. obtemperat autem rationi, quia regitur à rationẽ, quæ præscribit illi modum intendendi vel laxandi iram, ne quid immode

ratè et indecenter agat. Ex quo obedientia nascitur, et σωφροσύνη, id est, frugalitas seu modestia, seu temperantia. Rursus regit ac moderatur cupidineã animæ partẽ, non illo sanè modo quo prudentia, sed appetitionis quodam generẽ, quo illam vel compescit, & in officio retinet, vel externam vim propulsat, & ab inuria defendit. Quatenus igitur inferiorẽ partem compescit, eatenus illi virtus, quæ ἀνδρεία, id est, fortitudo nominatur, competit. Sed ne nimium compescendo in iram feratur, altera virtus ipsi adiudicatur, quæ πρᾳότης & συμβίωσις, id est, clementia & benignitas appellatur. Quatenus verò vim externam repellendo, & in hostis vlciscendi desiderium iram refrænando fertur, eatenus humanitatẽ regitur: cuius virtutis nomen, neq; apud Græcos, neque Latinos facilè aliud reperitur. Ex his iam facilè constare arbitror, qua ratione prudentia sit æstimatricis animæ partis virtus atq; perfectio, quam dixi esse virtutem σχετικὴν, & in habitudine ac relatione positam.

Porrò autem cùm proprium (vt sæpe dixi) æstimatricis animæ partis officiũ ratiocinari, & æstimare, ac cogitando rerum vsus atq; opportunitates perpendere: profectò prudentiam, quæ ipsius perfectio est, habitum quoq; consultandi, seu consultationem esse necesse est. sed cõsultatio, est quædam inquisitio,

cuius finis est cognitio. & omnis quæ cogitationẽ et ratiocinatione fit cognitio, ex antegressa (Vt autor est Aristoteles libro primo Analyticorũ) oritur notitia: quare & prudentiã, & artem, & scientiam, ex præcedenti cognitione gigni oportet. Sed antecedens notitia omnis, teste Aristot. primo Metaphys. ex particulariũ uisorum ac notionum obseruatione, conseruatione, retentioneq; oritur, quarum propria est, experientia: experimur enim ea quæ obseruauimus & collegimus: quia experientia nihil aliud est, quàm, Vt quidã eruditi Viri definiunt, ἡ τοῦ πολλάκις, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἑωραμένου ἤτοι κατάληψις, ἢ τήρησις, καὶ μνήμη. *id est, eius quod sæpenumero, & eodem modo conspectũ est, aut comprehensio, aut obseruatio & memoria: nam citra memoriam neque obseruamus, neq; colligimus res, & retinemus: quia memoria (Vt inquit Plato in Philebo) est* αἰσθήσεως σωτηρία, *aut* ἡ τῶν πάλαι ἐγνωσμένων κατοχή, *aut* ἕξις καθεκτικὴ ὑπολήψεως. *Rursus experientia citra industriam fieri nequit: neq; enim temerè & sine ratione aut consilio experimur, sed arte quadam & iudicio, quam Aristoteles* τὴν δεινότητα *nuncupat. Quare liquidò constat, hæc omnia cõcurrere ad constituendam naturã prudentiæ, quemadmodũ ad cæterorum habituũ essentiam, qui in cogitationẽ Versantur. Sunt enim hæc tria, memoria inquam, expe*

rientia & industria, veluti cōcausæ, quæ efficiunt et gignunt prudentiæ habitum. Verumenimuero cùm prudentia sit consultatio, & habitus consultationis, necessariū est vt in ijsdem versetur, experiendo, memoria retinendo, exequendo, quæ cadunt in deliberationem ac consultationem. Sed consultatio, ut antea cōmemoraui, propriè earum rerum est, quæ aliter atq; aliter euenirę fieriue possunt: sunt tamen in nostra potestate, vt fiant, aut non fiant, positæ. In nostra potestate sita sunt ea, quorum autores sumus: veluti opinio, conatus, appetitus, declinatio. At de opinione non consultamus, quemadmodum neq; de ijs quæ ad cognitionē pertinent, sed potius illis, quæ aut appetimus, aut declinamus & fugimus. Porrò appetimus quæ bona sunt, & declinamus contraria mala. Prudentia ergo erit habitus consultandi de bono & malo, honesto & turpi, vtili & inutili: de illo inquam quod vel ad nos, vel ad alios pertinet, dummodo principium faciendi aut omittendi, in nobis positum sit. Quandoquidē nemo de alterius damno aut vtilitate, quò illud effugiat, hoc consequatur, dubitat: aut si id facit, certè ea ratione agere uidetur, quia partem incōmodorum aut commodorum ad se pertinere arbitratur. Etenim solemus interdum & amicorum fortunæ gaudere, & calamitatibus tristari: quia eorum res ad nos pertinerę arbitramur. Atque

hanc

hanc quidem esse prudentiæ naturã, ex multis ostendi potest argumẽtis. Principiò, ex cõmuni hominum omnium consensu & notitia, quam mentibus de viro prudentę habent impressam, & planè confirmatam: quia prudentẽ esse aiunt illum, qui rectè de rebus bonis & malis, honestis et inhonestis, utilibus inutilibúsue potest cõsultare ac deliberarę, rerumq́ occasiones & opportunitates, et euentus, & quasi antecessiones perquirerę. Atq; idcirco Periclem & cæteros prudentes esse, qui hæc eadem præstant & efficiunt. Quinimò & bruta interdum animantia, quæ δύναμιν προνοητικὴν, id est, vim prouidendi et perspiciendi id quod vtile noxiúmue futurum est, possident, quadam similitudine prudentia appellarę consueuerunt, quò prudentis officium planius demonstrent. atq; id quidem videre licet in multis animalibus, quæ sua industria, imitantur hominum consilia & actiones, vt rationę & intelligentia prædita esse existimentur: veluti in vrsis, formicis, apibus et araneis, quemadmodũ eleganter cecinit Poëta in Georgicis, de apibus loquens:

Venturæq́; hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.
Nanq; aliæ victu inuigilant, & fœderę pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lachrymã, & lentum de cortice gluten

Prima fauis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ, ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſsima mella
Stipăt, & liquido diſtendunt nectare cellas. &c.
Et paulò poſt:
His quidam ſignis, atq; hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus
Aetherios dixere. &c.

Neq; enim ratio aliud eſt, quàm mens diuina qua homo Deo ſimilis efficitur: quæ ſi adulta eſt, prudentia appellatur. Præterea prudentiă eſſe vim perſpiciendi ac dijudicandi bona maláue, quæ ad hominĕ pertinent, id maximè argumentŭ eſſe poteſt, quòd intemperantia, quæ in voluptatibus & dolorib. poſita eſt, cæteras exiſtimationes cognitionesq;(ut inquit Ariſtoteles) veluti ſapientiam, artem, & ſcientiam, extinguere non poteſt: ſolam prudentiam quandoquĕ euertit, & prudentiæ actiones ſua vi retardat et impedit, vt in rebus quid verŭ ſit aut vtile & bonum homini, cernerĕ nequeat. Propterea tĕperantia quæ oppoſita eſt huic vitio, à Græcis σωφροσύνη dicta eſt, quia σώζει τὴν φρόνησιν, id eſt, cuſtodit & conſeruat prudentiam: conſeruat inquă, cùm neq; illecebris & iucunditate voluptatŭ, neq; dolorum aſperitate rationem vinci patitur. Etenim voluptas & dolor bonarum & malarŭ actionum cauſæ ſunt: & quic-

quicquid agitur, aut voluptatis, aut doloris causa efficitur. Prudentia igitur est habitus consultandi de bonis et malis humanis, ijsq́ue quæ vel sibi vel alijs euenire cõsueuerunt: neque enim referre arbitror, vtrum de alterius rebus quis deliberet dubitétue, an suis, modò potestas & principiũ eas adipiscendi fugiendiq́ue, penes eum sit qui cogitat. Atenim bona & mala de quibus consultare homines solent, non vnius sunt generis: quædam enim sunt animi, quædam corporis, nonnulla fortunæ. Prudentes ergo viri de omnibus dubitant: quia sunt custodes societatis & felicitatis humanæ, quæ sine his vniuersis cõmodè constare nõ potest. Quinimò is qui generatim simpliciterq́ue prudens appellatur, eo ipso à prudente particulari, quem artificem esse dixi, differt, quòd hic etsi de bono aliquo consultat, non tamen de omni bono quod felicitatem parit, deliberat, sed, exempli gratia, ædificator de ædificanda domo, sutor efficiendo calceo, mercator acquirẽdis pecunijs, itemq́ue medicus de conseruanda sanitate: quæ omnia quidem bona sunt, sed non propter se expetuntur: ille verò generatim de vniuersis ac singulis bonorũ generibus cogitat, quæ pariunt felicitatem, ad quam cætera omnia referuntur, tanquam partes aut fructus summi illius boni, quod propter se tantùm expetitur. Quare verè prudens censendus est is, qui nõ de parte aliqua, sed vni-

uersa felicitatę humana deliberat, eaq́ proposita tan quam scopo, quæcunq; ad illius adeptionē pertinent, inuenire potest, inuentaq́ ingenio & sapientia diiudicare. Verùenimuero hæc cogitatio nihil aliud est, quàm rectæ rationis inquisitio ac inuestigatio, quæ quasi forma est & natura prudentiæ, sinę qua conseruari ipsa non potest. Nam vt deprauata ratio imprudentiā, sic vera et recta ratio prudentiā parit. parit inquā prudentiā, quia iudicat et discernit ea quæ sunt expetēda aut fugienda. Expetuntur autē σύμμετρα, id est, moderata et mediocria: fugiuntur vitanturq́ cōtraria & extrema. Porrò extrema & cōtraria sunt, excessus et defectus: quæ propterea fugiēda sunt, quia sunt causæ corruptionis & interitus rerū. Mediocritas cōseruat, et efficit habitus bonos ac laudabiles, qui in actionę spectātur, ad quā recta ratio collimās, ab vtroq; extremo deflectit. Exempli gratia: motus & exercitationes corporis, tuendæ conseruandæq́ valetudinis causa susceptæ, quandoq; habitum sanitatis custodiunt, quandoq; corrumpunt: custodiunt autem, cùm moderatæ sunt, & mediocritate ac modo efficiuntur: econtrà corrumpunt eandem sanitatem, cùm modum & mensuram naturæ aut excedunt, aut deficiunt. Similirationis modo et fabri, & statuarij, & ædificatores, simpliciterq́ habitus omnes in actionibus quæ intendi & remitti possunt,

possunt, versantes, mediocritatem vt bonum expetunt, contraria fugiunt vt malum: ideoq́ in efficiendis operibus, & magnitudinem, & numerum, & conformationẽ, & figuram, & compositionem, in agendis modum, tempus, locum, et quæ reliqua sunt seruare nitũtur. Est ergo mediocritas nil aliud quàm modus quidam & mensura, certis limitibus comprehensa determinataq́, seruandi omnibus in rebus id quod oportet, quantum oportet, & quomodo, & vbi, & quando oportet, vt cuiusq́ natura & vsus postulauerit: quam Poëta his verbis descripsit:

Est modus in rebus, sunt certi deniq́ fines,
Quos vltra citraq́ nequit consistere rectum.

Hæc mediocritas definitur ac circumscribitur recta ratione, vt autor est Aristot. quæ est forma & essentia prudentiæ, versaturq́ in actione rerum: quia nihil efficit vt ars, sed moderatur & regit cæteras virtutes vniuersas quæ in actione positæ sunt, & sine prudentia consistere nequeunt. Agit autẽ, quia consultat de medijs pertinentibus ad bene beateq́ viuendum, futura cautè prospicit, præterita diligenter expendit, ac præsentibus commodè dijudicatis vtitur: quæ omnia, opera nõ sunt, sed actiones bonæ, quibus nihil efficitur aliud, sed ipsæ finis sunt, & propter se expetuntur. Dicuntur autẽ bonæ actiones, quia boni tantummodo causa, non cupiditatis & volupta-

tis, aut gloriæ gratia suscipiuntur. Et quanquam vir prudens actione bona pariat felicitatem, felicitatem inquam vel sibi, vel familiæ, vel ciuitati, tamen non eodem modo id facit, quo ædificator domum, aut sutor calceũ, aut medicus sanitatem: quia felicitas non est opus, sed actio ipsa, qua intereunte, ipsam quoque interire necesse est. Quod facilè quis intelliget, si hac ratione totam rei naturã contempletur. In arte medica, tria potißimùm spectãtur: ars ipsa seu artifex, sanitas quã efficit medicus, et operatio seu actio, quæ ab habitu sanitatis gignitur. Artifex igitur efficit sanitatẽ, & sanitas actionẽ, sed dißimili ratione ac modo: quia artifex in alio efficit sanitatẽ, quæ opus aliquod est, et pereũte artifice ipsiusq; actione etiamnũ permanet: at sanitas & homo sanus ædit actiones sanas in seipso, nõ in alio: quia nullum opus externum relinquit, sed habitũ acquisitum actione confirmat. Sic prudentia non efficit felicitatem, vt medicus sanitatem, sed propémodum ut sanitas, actiones sanas: etenim dum rectè & prudenter agit, se & alios felices reddit. Et actio viri prudentis est felicitas ipsa, quam ex accidenti sequitur tranquillitas vel in domo, vel repubica, veluti vmbra suum corpus. et hæc fuit opinio Aristot. sexto Ethic. capite xij. Sed inter actionẽ sanam quæ ex habitu proficiscitur, & actionem prudentis, id tantùm interest, quòd illa quidem

eius,

eius, qui ipsam efficit, perfectio est: hæc & eius qui agit, & alterius: quia prudentia quandoq; refertur ad alterum, & spectatur ipsius actio in re familiari, aut repub. quam cõsilio & recta rerum administratione conseruat, nõ tamen eo modo vt medicus corpus humanũ sanitatę perficit, quæ habitus est illius qui recipit, & aliquod opus actionemq; medici consequitur. Felicitas habitus non est, sed tota in actionę versatur, qua extincta extinguitur, intereunteq; interimitur. Sed hoc loco quærat opportunè quis: Si prudentia, & habitus omnis qui in actione cõsistit, nihil post operationẽ relinquat, et in ipsa bona actione tanquam vltimo & extremo fine conquiescat, quomodo à scientiæ actionę distinguatur? siquidem & scientia præter cõtemplationem actumq; intelligendi nil molitur, sed ipsa contemplatio est finis scientiæ. Illi hoc modo interroganti responderem: longè à se inuicem differre, actionem & contemplationem. Nam quemadmodum cognitionem sequitur actio, ita scientiam veritatis inuentio tantum: at prudentia, simpliciterq; habitus actiui non solùm quid vtile & bonum intelligere cognoscereq;, sed etiam eo ipso, intercedente actionę, frui nituntur, vt id quod appetitus expetendũ, & recta ratio agendum præceperit, consequantur. Ars verò & habitus illi, quorum finis est effectio & opus, neq; contemplatione,

neq; actione sola continentur, sed opus aliquod efficiunt, quod cùm diuersum ab actione sit, digito demonstrare, atque adeo intereunte actione relinquere possunt. Quare satis apparet, qua ratione actio sit finis prudentiæ, & quomodo à contemplatione effectioneq; sit distinguenda ac discernenda. Porrò autem hæc actio viri prudentis, quæ ad custodiam felicitatis humanæ suscipitur, non est vniformis, sed varia & multiplex: ideoq; distinguẽda est, vt ipsius prudentiæ vis ac natura rectius intelligatur. Est inquam multiplex hæc actio: quia proprium viri prudentis est, non solùm proposito fine recta ratione media ad bonum finem pertinentia inquirere, quidq; agendum sit præscribere, sed etiã de iisdem bene consultare, rursusq; quæ consulta atq; deliberata fuere, ad propositum finem perducere: demum quæ inuenta factaq; fuere (siquidem aliqua emendatione indigeant) corrigere. Quæ tria officia, seu tres, vt alij volunt, prudẽtiæ partes ab Aristot. per σὐϐελίαν, σύνεσιν, *&* γνώμην, *nobis sexto Ethicorũ ostenduntur.* Εὐϐελία *ergo, id est, bona consultatio, nihil aliud est, quàm rectitudo quædã cõsilij seu consultationis, qua quis vtilitatis ratione cõsequitur vt oportet, cũ oportet, id quod oportet expetere, hoc est, finem bonũ vel simpliciter, vel secundũ quid, cuius prudentia vera existimatio est. At* σύνεσις, *id est, intelligentia seu perspi-*

perspicacia, facultas quædam cogitationis est, dijudicandi ea quæ à nobis aguntur, quæq; in nostra potestate sunt, à prudentia præcepta & excogitata. Et γνώμη, vt autor est idem Aristot. quam sententiam nominauit, est æqui & boni viri iudicium rectum: cuius officium est rebus perceptis dijudicatisq; nonnihil quandoq; ex æquitate addere, & personarum, rerum, modorum atq; causarum habito delectu, omnia discernere ac determinare. Itaq; prudentia, harum rerum omniũ præceptrix est & magistra, propterea quòd finẽ vltimũ, suapte natura expetendũ, sibi proponit, actionesq; et media ad fruitionẽ propositi finis pertinẽtia et utilia ostendit. Cui bona cõsultatio quasi adiutrix accedit. Hãc subsequitur perspicacia, quæ prudentiæ præcepta & inuenta percipit, perceptaq; rectè dijudicat. Demũ succedit sentẽtia, quæ non solũ deliberata dijudicat, sed ea in melius quandoq; transfert, quæq; perperã cõsultata sunt, et reprehensionẽ incurrere possunt, corrigit et emendat. De his prudentiæ partibus multa mihi dicenda essent, si perfectã earum naturã vellem explicare: sed quia nõ arbitror pertinere ad nostrũ institutum, plura de his dicere quæ ab Aristot. grauiter & copiose sexto Ethic. sunt disputata, ea tantũ attingenda duxi, quæ necessaria essent ad cognoscendã naturã prudentiæ.

Cognita natura & essentia prudentiæ, facilè ap-

paret qua ratione ipsa à cæteris animi habitibus tum vniuersis, tum singulis distinguatur. Ac primũ quidem differt ab ijs qui in intellectu contemplatiuo positi sunt: quia prudentia dijudicat bona & vtilia humana, quæ pro diuerso hominũ genere, & dissimilibus vitæ institutis mutantur. Habitus contemplatiui considerant res quæ non opinione, sed natura constant, easq; perpetuas & æternas, quæ nunquam alterantur & mutantur. Vnde rectè Aristot. iij. Ethic. inquit: τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ, μή. τοιαύτην δέ τινα πλάνην ἔχει καὶ τὰ ἀγαθὰ διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλάβας ἀπ' αὐτῶν. ἤδη γάρ τινες ἀπώλοντο διὰ πλοῦτον, ἕτεροι δὲ δι' ἀνδρείαν. *hoc est: Honesta autem et iusta, de quibus ciuilis disciplina disputat, tantam differentiam, tantamq; varietatem in se continent, vt lege seu institutione vel opinione, non natura esse videantur. In bonis etiam talem quandam dissimilitudinem inesse propterea patet, quòd multi ex ijs quæ bona existimant, damno afficiantur: quippe cùm non pauci extiterint, qui vel ob diuitias, vel ob fortitudinem fuerunt interfecti. Itaque multa apud nos iusta & honesta esse putantur, quæ apud alios & iniusta sunt, & grauissimis pœnis ac supplicijs, qui talia agunt, puniuntur.*

A singulis quoq; pari ratione distinguitur: quia scientiæ finis est cognitio, prudentiæ actio. Deinde quæ sciuntur, sunt vniuersalia: quæ aguntur, particularia & indiuidua: propterea prudentes cōsultant de rebus particularibus, & scientes cōtemplantur vniuersalia. Ex quo loco soluitur problema, quo quæritur, cur pueri & adolescentes scientiæ habitu prædi ti esse poßint, prudentiæ verò nō poßint. Quod ideo accidit, quia prudentia tractat negocia indiuidua et particularia, in quibus locum habet, & maximè valet experientia, quæ non nisi multarum rerum peritia, & longo tempore acquiritur: scientia resolutione generis subiecti, & cognitione paßionum comparatur, quæ breuis est, et breui tempore addisci potest. Pueri ergo non possunt esse prudentes, quia carent rerum experientia, quæ longißimo tempore nobis ingeneratur. Rursus, prudentia nō est intellectus, quia hi duo habitus sunt rerū cōtrariarū et oppositarū: nam intellectus est habitus primorū principiorū, & prudentia rerum vltimarū, quæ in actione cernūtur. Id tamen vtriq; cōmune est, quòd quemadmodū principiorū nulla reperitur demonstratio, ita neq; actionum & rerum particularium, quarum est prudentia & intellectus. Sed principia idcirco non demonstrantur, quia per se nota sunt, & ipsorum cognitio melior est, quàm ea quæ per demonstrationem habe-

tur. At indiuiduarũ demonstratio propterea esse nequit, quia deterioris sunt naturæ, quàm vt comprobari valeant. Iam verò eadem prudentia differt à sapientia, quia vincitur dignitatę & præstantia, à sapientia: etenim sapientia contemplatur subiectũ nobilius et excellentius, & firmiori vtitur cognoscendi rationę quàm prudentia: cõtemplatur enim substantias illas ab omni materia abstractas, Deum videlicet, & mentes cœlestes. prudentia bona tantùm humana consectatur, quæ deterioris naturæ sunt, quàm illa. Et quemadmodum sapientiæ cognitio firma est & immobilis & certa, ita prudentiæ peritia instabilis est & incerta, perpetuoq; mutatur alteraturq;. Præterea multa sunt & varia prudentiæ genera, propter diuersa bona & contrarios fines, qui ab omni animantium generę diuersimodè expetuntur: Sapientia vna est, & eadem tantùm: quia res quæ sapientiæ subijciuntur, semper eodem modo eueniunt. Quinimò in eadem specię animalis, hominis videlicet, varietatę quandoq; hæc bona & vtilia, rectaq; insuper ratio, vt nuper dixi, distinguuntur. Huc accedit, quòd prudentia dijudicat bona humana, de quibus homines solent consultarę & deliberare: sapientia, diuina, quæ Aristoteles δαιμόνια appellat. Cuius rei signum est, quòd Anaxagoram & Thaletem sapientes, & non prudentes appellare con-

re con-

re consueuimus, propterea quòd ignorant ea quæ sibi conducunt. Nam cùm in cognitione eorum quæ hominum ingenia excedunt, occupati sint, commoda vitæ & vtilitates negligant, idcirco superuacua, & admiranda, & difficilia, & diuina cognoscere dicuntur. Superuacua, quia non conferunt ad commoditates & vsus vitæ: admiranda, quia excedunt communem hominum cognitionem: difficilia, propterea quòd labore ac multo studio opus est, antequam ea quis percipere possit: diuina autē seu δαιμόνια, quia animum quasi à corpore, cui addictus est, cogitatione seducentes, cum dijs versari videntur, eorumq́ naturas animo perlustrare atq; intueri. Hæc autem sunt supra hominē, & non pertinent ad naturā prudentiæ. Præterea finis sapientiæ cognitio est & contemplatio: prudentiæ, consultatio, deliberatio, & actio ipsa. Deniq; prudentia, ratione & experientia nititur, quia est habitus actiuus: quinimò experientia primas partes sibi vendicat in viro prudente: quoniā (vt inquit Aristot.) experientia plus valet in actione rerum, quàm ratio. Sapientia in sola cogitatione cernitur, quæ, experiētia vel nunquam, vel certè raro indiga est. Porrò autem prudentia, neque opinio esse potest: quia qui opinatur, nil agit: sed qui prudens est, agit quidpiam. Et opinio vera uel falsa dicitur: actio prudētiæ, bona uel mala.

Rursus prudentia suapte vi non decipitur, quia nititur recta ratione, quæ falli nequit: opinio sua sponte quandoq; errat & labitur in cõprehensione rerum. Sed fortasse quid quantumq; à prioribus animi habitibus distet, iam est cognitu et perceptu facillimum: ab arte verò quomodo distinguenda sit, non ita cuiuis obuium & manifestũ, quia ars & prudentia habent vicinam naturam, & sunt genere coniunctæ: quandoquidem referuntur ad cõsultationem, cuius antea partes esse statuimus. Verùm si quis ea omnia, quæ superiori loco à nobis disputata sunt, diligẽter intuebitur, magnum profectò horum habituum inueniet discrimen: etenim prudentia, est rerum agendarum: ars, efficiendarum. Et quemadmodũ prudentiæ finis est ipsa actio bona: ita artis, opus. Præterea prudentia est virtus, ars virtus non est: nam prudentiam, & viros prudentes laudamus, imperitiam & imperitos vituperamus. Atqui laus propria virtutis est, quemadmodũ honos, artis & scientiæ. Deinde, artis virtus esse potest, prudentiæ virtus esse nequit: quia virtutis virtus nõ reperitur. Virtus autem artis seu artificis est, artificiose et prudenter in rebus efficiendis versari, & quasi prouidere, ne quandoq; in actione, vel negligentia, vel vitio rerum, peccet. At vir prudens nõ peccat, sed sequitur rectam agendi rationem, cuius virtus alia esse nõ potest. Iam verò qui

rò qui in artę peccat, maiori venia dignus esse iudicatur, quàm qui prudentiæ & cæterarũ virtutũ habitu præditus, data opera fallitur, errátue. Deniq; omnes animi habitus obliuioni tradere possumus, prudentiæ non possumus: quia & artes & scientiæ vel longo temporis interuallo, vel febre cæterisq; morbis (vt de quibusdam traditum est) extingui possunt, planeq; in homine aboleri. Huc accedit, quòd ex cæteris habitibus non semper operamur, ex prudentia perpetuò agimus: quoniã prudentia iuncta est cum appetitu, qui cùm ab homine seiungi non poßit, semper ab ea dirigitur in bonum: appetitus enim semper agit in homine, qui vt recta & vtilia expetat, indiget recta ratione, quæ modum & occasionem præscribat appetendi bona, & fugiendi mala. Quapropter cùm homo extra tempus, extraq; ipsum bonũ, itemq; sine actione et affectu, in hoc vitæ spacio, quibus omnib. prudentia dijudicatur, esse nequeat, certè necessarium est vt semper homo aliquid agat, ex qua perenni actione semper augetur, minimeq; extinguitur habitus prudentiæ: quia obliuionis causa, oritur ex intermißione actionum, vt in Ethicis scripsit Aristot. Atq; hæc quidem sunt, quæ de natura horum quinq; habituum dicenda esse existimaui, vt ex eorũ cognitione, ad quem Iurisprudentia referenda esset, facilè cuique innotesceret. Etenim hanc

ego ex sententia veterũ philosophorũ, vniuscuiusq; propositæ quæstionis veram dissolutionem semper esse iudicaui, in qua natura & vis termini prædicati & subiecti, cõmentationę quadam explicaretur: ea enim cognita, facilè intelligi potest quid cuiquę rei insit, aut non insit.

Iurisprudentiam nõ esse habitum cognoscendi aut efficiendi, sed agendi, & prudentiæ partem.

Cognita natura omniũ animi habituũ, reliquum est vt eodem ordinę, eademq; via inquiramus, ad quem Iurisprudentia cõmodè reducatur: quod quidem neq; inuẽtu, neq; factu est difficilè. Iurisprudentiam igitur aut ad cognitionẽ, aut actionem pertinere necesse est. Sub cognitione, opinionem quoq; comprehendi volo. Sed ad cognitionem referri nequit: quia Iurisprudentiæ finis non est cognitio, seu contemplatio, sed potius quædam actio, quæ posita est in deliberando & consultando. Atqui cognitio nihil aliud est quàm separatio, & discretio veri à falso: Iurisprudentia non distinguit verum à falso, sed bonum à malo, iustum ab iniusto. Deinde, qui quidpiam cognoscit, id sibi cognoscit: at qui cõsulit, & sibi & aliis videtur consultando consulendoq; prodesse. Rursus, iustitia non est cognitio & scientia, vt Socrates opinatur: at Iurisprudentia est habitus iustitiæ,

ſtitiæ, iuſtitiæ inquam politicæ, quam Iureconſultus nititur conſeruare atque cuſtodire. Huc accedit, quòd officium ſcientis & cognoſcentis ſit, rerum naturas atque proprietates per ſuas cauſas comprehendere ac contemplari: Iuriſperitus non tantum contemplatur iuſti & iniuſti naturam, ſed actione in Repub. tuetur ac defendit, id quod vtile eſſe recta ratione cognouerit. Iam verò ſi eſt habitus cognoſcendi, erit ſcientia, aut intellectus, aut ſapientia, aut opinio. Sed ſcientia eſſe non poteſt, quia ſcientia verſatur circa res quæ natura conſtant, æternas atque perpetuas: Iuriſprudentia circa cõtingentes, corruptioni generationique, quæ in noſtra poteſtate ſitæ ſunt, obnoxias. Neque intellectus, propterea quòd intellectus eſt habitus percipiẽdi prima rerũ quæ ad demonſtrationem referũtur, principia: Iuriſprudentia eſt rerum vltimarũ, ipſarumque actionũ quæ ſenſu, non ratione & intelligentia percipiũtur. Quòd ſi neque ſcientia eſt neque intellectus, multò minus ſapientia eſſe poterit: quia ſapiẽtia eſt habitus ex ſcientia & intellectu cõpoſitus. Sed à quo remouentur partes, ab eodẽ quoque remouetur totũ. Iuriſprudentia ergo ſapientia eſſe nequit. Neque etiã opinio, quia opinio eſt rerum earum quæ tũ à natura, tum earũ quæ à nobis efficiuntur, itemque earũ quæ ſunt, vel nõ ſunt: atqui Iuriſprudentia non eſt habitus percipiendi illa quæ à natura

fiunt, sed dijudicandi actiones quæ ab hominib. pro-
ficiscuntur. Ex his patet Iurisprudentiã non esse ha-
bitum cognoscendi, sed cõsultandi atq; deliberandi.
Porrò autem consultamus, aut de operę efficiendo,
aut agendo tantùm. Si de operę efficiendo consulta-
mus, ars est: si de agẽdo, prudentia. Iurisprudentia igi
tur aut ars est, aut prudentia. Sed ars esse non potest,
principiò, quia nomen huius disciplinæ non indicat
esse artem, sed prudentiam quandam iuris & iusti-
tiæ: quia videtur esse quædam custodia & conserua
tio iustitiæ. atqui iustitia conseruatur recta rationę,
quemadmodum & reliquæ, tum per se, tum ad alte
rum relatæ virtutes. Recta ratio nil aliud est quàm
prudentia, cuius partem Iurisprudentiã esse necesse
est. Rursus, non efficit aliquod opus, sed agit tantùm,
quia eius finis, est actio bona: quoniam actione dis-
cernit æquum ab iniquo, licitum ab illicito: tuetur to
tius reipub. incolumitatem tranquillitatemq́;, con-
seruat ciuium concordiam, eaq́; omnia facit, quæ bo
næ actionis nomine continentur. Nam vt quælibet
ars habet propriũ & particularem aliquem finem,
cuius gratia quippiam efficit: & propriã materiam,
circa quam efficiendo expoliendoq́; versatur, velu-
ti sutoria circa corium, ex quo calceos: statuaria cir-
ca lapides, ex quibus statuas: & ædificandi ars circa
ligna, ex quibus domum (quæ vel ad voluptatem,
vel ad

vel ad corporis tutelam omnia pertinent) efficit: ita Iureconsultus non voluptates, non priuatas corporis aut fortunæ, sed totius adeò humanæ societatis bona consectatur: quia versatur in ciuili societate, in qua felicitatem, cuius gratia omnis societas constituta est, nititur conseruare custodireq́ꝫ. Eadem faciunt legislatores, qui de omnibus quæ Rempub. cõtinent, leges sanciunt: quia Iureconsulti & legislatores, vt suo loco manifestius ostendam, eadem tractant: tractant inquam actiones iustas & iniustas, legitimas atqꝫ illegitimas, quibus vel præmia & honores, vel pœnas & supplicia decernũt. Sed hoc interest, quòd Iureconsultus à legislatore præcepta, diligenti prudentiq́ꝫ interpretatione explicat, quæq́ꝫ ab eodẽ propter temporis & casuũ perpetuam varietatẽ omissa sunt, ex similibus iisdemq́ꝫ casibus adiungit, mentemq́ꝫ adeò legislatoris ipsarũq́ꝫ legum perspicuè aperit. Iam vero non tantùm materia & fine ars à Iurisprudentia distinguitur, sed etiam tota natura ac definitione: quia ars est habitus recta ratione efficiendi opus, hoc est, addendi & auferendi & transmutandi materiam. Iurisprudentia nihil mutat, nil addit adimitue materiæ in qua versatur, quia actio est res carens materia: atqꝫ ob id, est iusti et iniusti, boni & æqui, quod in actionibus cernitur, separatio atque dijudicatio: quoniam non sat est Iureconsulto

quid æquum aut iniquum, licitum vel illicitum sit cognoscere, sed eo ipso actione frui. Tuetur ergo Iureconsultus iustitiam politicam, virtutum omnium præstantissimam ac nobilissimam, quæ suo ambitu cæteras omnes continet complectiturq;: nam hæc iustitia est finis & scopus Iureconsulti, quem cùm assequitur, ab omni actione quiescit: quia fruitur proprio bono, quod antea expetebat: & præter hanc actionem nil, vt quidam arbitrati sunt, relinquitur. Etenim si quis contendat tranquillitatem Reipublicæ (quæ opus aliquod esse videtur, & similis esse sanitati, quæ à medico corpori humano inducitur) post actionem Iurecõsulti etiamnum permanere ac relinqui, illi responderem, tranquillitatem Reipub. comitari actionem Iureconsulti, non per se, sed ex accidenti, veluti vmbra consequitur corpus, & felicitatem voluptas: nam primò & per se expetitur à Iureconsulto iustitia, quam sequitur tranquillitas, vt aliquod accidens.

Ex his manifestè patêre arbitror, Iurisprudentiã non esse artem aut scientiam, sed virtutem potius, & prudentiæ partem: quod cùm veteres Iureconsulti animaduertissent, hanc disciplinam nonnunquam artem, interdum scientiam nuncuparunt, artis & scientiæ nomen latius nuncupantes: vt hac ratione planè indicarẽt, Iurisprudentiã neq; ad artem

propriè

propriè, neque ad scientiam reduci posse: & proinde tum artem, tum scientiã pro habitu quodam animi, multis præceptionibus, iisq; ad vitæ commoditates vtilibus, & ad vnum aliquem finem tendentibus, constantem, recta ratione actiuum, conceperunt. Ex quo id liquidò constat, grauissimè eos errare, qui Iurisprudentiam ad artem aut scientiam propriè conceptam, referre conantur, cùm quid ars aut scientia sit, vel omnino non intelligant, vel non rectè quid sentiant, explicent: nisi fortè artis voce pro ordine ac methodo docendi vtãtur, quod etiam nos libenter concedimus: siquidem existimamus hanc disciplinam non minus quàm cæteras artes, ordine ac methodo conscribi atque doceri posse. Hanc ego arbitror esse veram Iureconsultorum ac philosophorum de natura Iurisprudentiæ sententiam, ipsiq; adeò veritati rerum consentaneam: est enim perspicua & facilis, deniq; doctissimorum virorum iudicio & autoritate cõprobata. Verùm hæc res multò apertius intelligetur, si id quod secundo loco propositum erat, explicabitur.

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER II.

DE DVABVS PRVDENtiæ partibus, priuata & cõmuni.

CVM in priori libro breuiter expositum sit, qua ratione Iurisprudentia ad naturã prudentiæ referatur, itẽq; quid sit ars, quid scientia, quidq; sapientia et intellectus, deniq; quid opinio & cõsultatio: ordo deinceps postularę videtur, vt id quod secundo loco propositũ erat, eadem methodo explicemus, atqueadeo ad quã prudentiæ partem ipsa pertineat, scientificè ostendamus. Etenim cùm nõ simplex sit & vniformis, sed multiplex & varia prudentiæ natura, distinguenda ea est, atq; in sua quasi membra partienda, vt cognitis ijs, facilè id quod quæritur, poßit intelligi. Nam quemadmodũ non satis est Physiologo, cognoscerę quòd homo animal sit, aut corpus: et medico, quòd febris sit affectio præter naturã, aut morbus ex intemperie: sed etiam, quale animal sit, hoc est, quod rationis particeps, eiusdémue expers: aut morbus ex intemperie humida, vel calida, vel frigida, vel sicca, scire omnino est necessarium: ita futuro Iureconsulto non multũ vtile erit intelligere, Iurisprudentiã, prudentiam esse, nisi qualis ea sit, & ad quam prudentiæ partem referatur, di-

tur, diligentißimè percipiat atq; cognoſcat. Quãdoquidẽ perfecta vniuſcuiuſq; rei ſcientia, ea demum eſſe iudicatur, quæ ad infimas vſq; ſpecies, ipſaq; indiuidua et particularia, cognitionẽ progreditur, vti diuinus noſter Plato, artifices ab vlteriori inueſtigatione iubebat conquieſcere: indiuidua enim infinita ſunt, & infiniti nulla poteſt eſſe comprehenſio. Prudentia igitur (vt autor eſt Ariſtot. ſexto Ethic. capite octauo) alia eſt abſoluta, alia σχετικὴ *ſeu relata. Abſoluta eſt, quæ ad vnum tantùm, & ad priuatum hominem pertinet: relata, quæ ad plures, non ad ſeipſum refertur. Abſoluta, breuioris doctrinæ gratia, priuata nunc à nobis: relata, communis dicatur. Dicitur autem prudentia priuata, illa quæ cuiq; priuato homini, bona maláue, vtilia & inutilia, cõmoda & incõmoda vitæ, cognoſcendi, dijudicandi, adipiſcendi fugiendiq; viam commonſtrat: vnde virtus quædam animi abſoluta, minimeq; ad alterũ relata appellatur: hoc eſt (vt ſignificãtius dicam) in ſocietate non ſpectatur, ſed intra hominis animũ abſolutius, quia regit moderaturq; inferiores animæ vires, iram videlicet atq; cupiditatem: quæ ſi rectæ rationi obediunt, proprias, vt ſæpe antea dixi, ſortiuntur perfectiones, hæc quidem temperantiam, illa fortitudinem. contra quas diſtinguitur hæc virtus prudentia, eſtq; earum princeps ac moderatrix: quan-*

doquidem præscribit rectè agendi ordinē, ostenditq́; quid, quomodo & quantū, & quo loco, & quo denique tempore sint appetenda bona, & declinanda mala: ex qua obedientia, vnio seu consensus & harmonia quædam, harum trium animæ partium gignitur, quæ iustitia nuncupatur: nō illa, quæ ad alterum refertur, atq; in societate cernitur, sed quæ hominis & animæ est propria. Hæc igitur prudentiæ species omnibus hominibus (naturaliter tamen affectis) tributa est à natura, vel saltem ipsius quædam particula: quandoquidē homo natura sua, est animal sagax, prouidum, plenum rationis & consilij, quo se, uitam corpusq́; tuetur, declinatq́; ea quæ nocitura videntur, omniaq́; ea præparat (vt Tullij verbis utar) quæ ad bene beateq́; uiuendū sunt necessaria. Hāc ob caussam Iamblichus antiquißimus philosophiæ magister, prudentiā oculū mentis et animæ appellauit, propter similitudinē quādam, quā cum corporeis oculis obtinet. Etenim vt oculi corporis propterea à natura homini donati sunt, partim vt variarū rerū aspectu, scientiā earum quæ cæteris sensibus percipi nequeunt, sibi cōparet, partim vt ea quæ corpori noxia aut vtilia sint, diligenti ac prouida adhibita animaduersione inspectioneq́;, rationi hoc terrenū domicilium inhabitāti significet, ac planè denūciet: ita prudentia cæteris omnib. animæ eiusq́; partiū virtutib. nō vtitur tantū, sed & ordinē ipsis, modum occasionemq́;

nemq; rectè quidpiã agendi efficiẽdiue cõmonstrat. Est ergo hæc prudentia, ut nuper dixi, virtus quædã absoluta, quæ in animo tantũ hominis cernitur, nec cum vlla adiectione spectatur. Altera verò prudentiæ pars, quæ ad plures refertur, ipsa quoq; prudentia & virtus appellatur, sed nõ simpliciter et absolutè, sed eorũ respectu, ad quos refertur, quorũq; commodis ac vtilitatib. seruit: quoniã non in homine, sed omnino in societate quadam hominum inter se cernitur, quã necessariarũ rerum, earũq; quæ ad uitæ commoditatẽ, societatis cõseruationem iucunditatẽq;, ad facultates rerũ atq; copias, ad opes, ad potentiã, quibus & se et alios iuuare poßint, vtilia sunt, præparatione inuestigationeq; conseruare atq; custodire nititur. Neq; tamen re & subiecto (vt verbis Aristot. vtar) à priori differt, sed ratione & habitudine tantùm, & materia in qua versatur. Etenim vtriusq; virtutis idem planè et simile est officiũ, idem finis, eademq; penitus forma. Officiũ, quia vtriusq; est rectè consultare de rebus, easq; dijudicare, atq; facta dictáue emendatione indigentia, corrigere & emendare. Finis, quia vtraq; id quod homini optimũ & vtilißimum in actione esse perspexerit, ratiocinando coniectari approbareq; solet. Forma quoque non distinguuntur hæ virtutes, propterea quòd vtraq; recta ratione, tanquam fundamento proprio nititur: quinimò recta ratio est eorum essentia & substantia.

Differunt tamen rationę, & rebus subiectis, & propterea sunt habitus diuersi. Nam qui per se prudens est, propria suaq́; commoda & incommoda expendit: at prudens ex adiunctionę, aliena, & ad societatem aliquam pertinentia. Quandoquidem perinde se habet prudentia ex adiunctionę, ad simplicem & absolutam, ac tota Virtus, ad iustitiam illam legitimam: est enim Vtraq; (Vt autor est Aristot.) re eadem, ratione autem diuersa: nam Vt ad alium refertur, iustitia dicitur: Vt Verò habitus est animi perfectus, & quidam consensus omnium animi uirtutũ, simpliciter tota Virtus appellatur. Simili rationis modo, felicitas Vnius hominis, & societatis alicuius, primo Ethicorũ eadem esse dicebatur, propterea quòd Vtriusq; finis est idem, bona Videlicet actio, et secundum Virtutẽ: at hæc pluribus cõmunis est, illa Vnius tantùm propria. Et propterea prudentia communis Videtur esse præstantior atq; nobilior quàm priuata, quia pluribus Vtilitatem affert. etenim bonum quo cõmunius est, eo præstãtius quoq; est. Neq; Verò hoc loco audienda est sententia Vulgi, ab Euripide in Philoctete recitata, quæ profitetur illam solũmodo Veram esse, & propriè dici posse prudentiã, quæ & priuata est, & in animo tantùm cernitur: alterã illam, in societate spectatam, aut πολυπραγμοσύνην esse, aut φιλοπραγμοσύνην: Videtur enim communis

pruden-

prudentia, ea quæ alterius sunt, quæq; ad se non pertinent, quærere: quod sanè proprium est hominis curiosi: curiositas autem semiuitijs, ab omnibus scriptoribus, atq; id quidem rectè, adscribitur. Nam præterquàm quòd falsa & erronea est hæc curiositatis descriptio, etiam reprehensione non vacat id quod inquit, alienæ tantùm vtilitati studere ex adiunctione virum prudentem. Est autem Curiositas, seu, vt Gellius vertit, multarum rerum aggressio, teste Plutarcho, φιλομαθεία ἀλλοτρίων κακῶν, *id est, studium cognoscendi aliena mala, & aliena quidem priuata. Atenim prudens ex adiunctione, quiq; societatem custodire conseruareq; nititur, primùm quidem ea quæ publica sunt, quæq; ad communem vtilitatem cōmoditatemq; referuntur, expendit, atq; de ijs consultat: quādoquidem tuetur Rempub. aut familiam bonis consilijs, rectaq; administratione pœnarū ac præmiorum. Deinde etiam de priuatis aliquousq; rebus deliberat: quia quod publicè omnibus bonum est & vtile, id etiam ipsi, velut societatis vniuersæ parti, vtile esse necesse est. Quare iure optimo reprehendit Aristot. hanc vulgi opinionem, vtriq; ex æquo prudentiæ nomen competere, exactißimè demonstrans: quinimò Politicam illi (vt nuper dixi) & ciuilem longè esse præstantiorē priuata. Iam verò altera sine altera esse non potest, propterea quòd homo*

ſuapte natura genitus, & in lucem editus eſt, ad colendam ſocietatem, ſine qua vel omnino nō viuere, vel certè cōmodè viuere nequit: quandoquidē ut alibi ſcribit Ariſtot. citra ſocietatem viuerę, aut omnino diuinū ſit, ſupraq́; hominis naturam: aut certè feritatis & agreſtis cuiuſdam inhumanitatis indiciū, quódue in bruta quidē animantia cadat, quippe quæ ſi perpetua ſocietate priuentur, aut temporis ac ſolitudinis tædio citius conſumantur, aut certè infeliciſſimè viuant. Ex quo efficitur, vt abſolutè quis prudens eſſe, actionesq́; prudentiæ exercere nequeat, niſi vel in domo ſeu familia, vel in ciuili ſocietate id faciat: ita quidē vt neq; priuata ſine cōmuni, nec communis ſine priuata cōmodè conſiſtat. Præterea qua ratione quis de proprio bono rectè iudicabit, niſi illud cum publica vtilitate coniunctum intellexerit? quod vt intelligat, vniuerſali ſanè huic prudentia opus eſt. Deniq; prudentia, ſine longa eorū quæ vidimus, quæq́; audiuimus, experientia cōparari nequit: & experientia ſine ſocietate non acquiritur: quare alteram alteri coniunctā eſſe neceſſe eſt, itaq; copulatam, vt à ſe inuicē auelli non valeant. Hinc ſoluitur problema propoſitū ab Ariſtot. ipſiusq́; interpretib. cur cùm pueri & iuuenes non ſint prudentes, ſapientes tamen artiumq́; mathematicarū peritiſſimi aliqui habeantur? quæ diſciplinæ omnes, etſi non minorem ingenij ac mentis exercitationē requirāt quàm pruden-

prudẽtia, facilius tamẽ ac citius à pueris percipiũtur. Et ratio in prõptu est: quia prudẽtia sine experiẽtia acquiri nequit, quæ non cadit in pueros: etenim ea opus habet lõgissimo tempore, liberoq; à perturbationib. animo: pueri verò cùm nõ diu vixerint, etiã animũ varijs cupiditatũ ac libidinũ motib. irretitũ implicatũq; obtinẽt, itaq; prudẽtes esse nõ possunt. Verũ hæc quæstio etiã superiori loco proposita est ac dissoluta.

DE SPECIEBVS PRVDENTIAE cõmunis: ac primùm de prudentia œconomica.

Quæ igitur prudentia sit cõmunis, quæq; priuata, iam satis perspicuè apparet. Restat autem quærendũ, quotuplex rursus vtraq; sit: cõstat enim nõ simplicẽ earũ esse naturã, sed omnino cõpositã atq; diuiduã. Sed priuata in alias amplius partes seu species nõ diuiditur, sed in sua indiuidua tantũ: cõmunis verò multiplicem patitur partitionẽ, maximè ex earum rerum differentia ad quas refertur, & quibus in rebus sese, suumq; officiũ exercet. Refertur autẽ tum ad familiam, tum ad ciuitatem & Rempub. propterea quòd vel familiæ vel ciuitatis curã gerit, earũq; commoditates vtilitatesq; consectatur. Prior œconomica, posterior ciuilis prudentia appellatur. Familiaris igitur rei & œconomica prudentia est, quæ in re familiari ac domesticis negocijs cernitur, in administrationẽ familiæ, ipsiusq; partiũ mutua quadam & concordi societate inter se conspirantiũ, utilitatem uersans.

Etenim domus, & familia vniuersa, ex multis com ponitur partibus, quarũ vnaquæq; propriam (siquidem rectè & secundũ naturam omnia administrentur) sortitur perfectionẽ: quam primò ac per se contemplari, ipsaq́; actionę frui, nititur prudens ac diligens familiæ gubernator. Componitur autem primaria quidem rationę domus, ex duabus, iisq́; minimis ac simplicissimis partibus, possessore & possessionę, quemadmodũ & reliquæ omnes societates, quæ interea consistunt, dum quodam imperio, certaq́; quadam administratione coërcentur cõseruanturq́;. Sed enim vt propriũ possessoris officium est, rectè & vtiliter imperare, iubere, mãdataq́; ac præcepta præscribere: ita rei possessæ est parêre, ac mandatis fideliter obsequi: quæ quidẽ administratio propriè imperium δεσποτικὸν seu herile, quo dominus seruo imperat, nuncupatur, & à ciuili (quod πολιτικὸν appellant) distinguitur. Possessor autem est, dominus, vxor, liberi: sed nõ eadem ratione: nam alio modo parentes, alio liberi imperant: quinimò liberi parentibus quoque subditi sunt, & quasi medium locum inter possessorem remq́; possessam sibi vendicãt, quippe cùm partim pareant, & partim imperent: pareant inquã parentibus, imperent autem seruis & rei possessæ, et (vt Imperator ait) viuo quoq; patrę quodammodo domini existimentur. Sed tamen non eodem modo

suis

suis parentib. subduntur, quo serui suis dominis: quãdoquidem imperium dominorũ in seruos, herile, parentum in liberos, ciuile & πολιτικὸν, aut certè regium appellatur. Et quemadmodum in priori, domini tantùm cõmoditates vtilitatesq́; quæruntur, ita in hoc non tam parentibus quàm liberis prospicitur: quicquid enim parentes laboris ac negocij suscipiũt, quicquid agunt, & sui & liberorum gratia suscipere agereq́; existimantur. Quemadmodum igitur inter eos qui imperant, magnum inuenitur discrimen, ita quoq; inter ea quæ parent, non exiguæ sunt diuersitates ac differentiæ: quandoquidem res possessa, aut est animata, aut inanimis. Inanimis, mobilis vel immobilis: animata, aut brutũ, aut ratione præditum animal, vt seruus. Itaque prudentia œconomica seu rei familiaris administrandæ ratio, naturam harum partium contemplanti, facilè inuestigari ac intelligi poterit, si quidem duos vniuersales ante oculos sibi quis figat scopos: alterum, vt exactißimè cognoscere, qua habitudine atq; relatione, hæ familiæ vniuersæ partes, ad sese mutuò sint affectæ: alterum, vt actiones cuiusq; partis, ad quas à natura quælibet facta est, diligentißimè inquirere contendat: quas certè omnes, ex proprijs instrumentis & naturalib. organis, facilè ac sine labore adinueniet. Etenim ex his duobus fontibus, nõ solùm vniuersa domus admini-

strandæ ratio, sed etiam tota Iuris ciuilis legumq́ue peritia depromi potest. Neq; tamen hoc loco existimandum est, prudentiam œconomicã, solius domini propriam, cæterasq́ue familiæ partes, omni recta et secundum rationẽ agendi vi destitutas esse ac planè orbatas: sed maximè eam ad dominũ, tanquam architectum, & totius huius societatis moderatorẽ ac principem primò ac per se, cuius ex nutu cætera omnia dependeant, pertinere. Quãdoquidem vniuscuiusq; partis, propria & peculiaris est virtus, et propria ad obeundũ opus suum, recta, à natura vel institutione cuique agendi concessa ratio. Itaq; prudentiæ rei familiaris vis primò omniũ spectatur inter virum & vxorem: hæc enim prima, & maximè secundũ naturã est societas: siquidem cõmune animantiũ omnium est, coniunctionis appetitus, procreandi causa, ac simile sibi producendi, per quod quasi perpetuò viuere expetunt, quod sine maris et fœminæ cõmixtione fieri nõ potest: vt non tantũ secũdum naturã, sed necessaria quoq; sit huiusmodi cõiunctio. Verũ inter marem & fœminã hoc maximè interest, quòd mas veluti caput est ac princeps fœminæ, quemadmodũ & totius societatis, atq; idcirco nobilioris præstantiorisq; originis, & ad commoditates vtilitatesq́; vitæ perspiciendas aptissimus, maximeq́; idoneus. Quem sequitur mulier vt αὐτήκοος, vt Aspasia apud Xeno-

Xenophontem inquit. Maris ergo & fœminæ officia, autoritas, rectaq; regendæ & administrandæ familiæ ratio, primũ quidem à facultatibus naturalib. cuiq; à natura cõcessis (vt antea dixi) petenda sunt. Finxit enim natura hominẽ, vt bene constituta domo, non tam stabilitate ac ædificij firmitatẽ, sed & cœli temperie, opportunaq; habitantium commoditate prouisa, ijsq; quæ tum ad conseruationem vitæ, tum ad incõmodorum quæ extrinsecus quandoq; accidere solent, defensionẽ pertinent, præparatis ac diligenter cõstitutis omnib. principiò sui propagationẽ, vt perpetuò viuere possit appetat, hunc quidem in alio, illam verò ex alio: quam quidem sobolis propagationem, studiumq; cõiunctionis huius etsi cum cæteris omnibus animantibus habeat cõmune, tamen multa in his ipsis inueniũtur discrimina: quandoquidem vt alia longius ab immanitatẽ & feritate absunt, eò prudentia quoq; magis participãt. Quædam enim sine ullo discriminẽ aut habito delectu coëunt, instinctu tantùm naturæ ad hoc incitantẽ: veluti quæ animalia efferatiora sunt: quædam etiam societatis & mutui auxilij gratia sibi cõiungũtur, vt mutua ope & custodia sese adiuuent atq; tueãtur: quod in cicuribus & prudentioribus bestijs licet intueri, ut formicis & apibus, quæ futuri memores, cibũ colligunt, suisq; loculis inserũt & recondunt, recõditas

opportuno tempori reseruant. Verùm in homine excellentius atque diuinius id apparet, vtpote qui non propagationis tantùm causa explendiq; desiderij gratia societatē hanc natura expetat, sed etiam vt commodè & tutò, minoriq; cum molestia vitam transigat, & vt Aristoteles inquit, τοῦ εὖ εἶναι συνεργὰ ἀλλήλους ἕν. Bene igitur viuere, consequentia cernere, futura non ignorare, facilè totius vitæ cursum videre, ad eamq; degendam præparare res necessarias, solius hominis, quo à brutis differt, propriū est. Commoda autem huius vitæ, tum in animi, tum in corporis, tum etiā in fortunæ bonis posita sunt, quæ certè omnia ad perfectam absolutamq; requiruntur societatem. Sed animi bona vt præstantiora sunt cæteris, ita à dijs immortalibus petuntur: vnde rectè viri prudentes & œconomi, de dijs immortalibus leges initio sibi constituendas, & pro quotidianis muneribus ac beneficijs, quibus homines ab ijsdem afficiuntur, debitam gratiam referendam, ad hæc victimas & sacrificia, qualia illi à nobis requirunt, piè offerenda arbitrantur. Enimuero inter corporis & fortunæ bona, illud sanè præcipuū est, vt in cōiunctione & societate hac, talem vxorem quisque sibi deligat, quæ ad virtutis vsum perduci, bonisq; moribus imbui possit. Maxima verò ea quæ in mulieribus requiritur, temperantia: cuius pedissequa solet esse pudicitia,

dicitia & modestia. Rectè enim Hesiodus inquit, παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ἵνα ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς. *Diuersitas nanq; morum, nequaquam ad societatem apta est. Eadem Aristoteles lib. primo Oeconom. confirmat, dicens :* ὥστε δέοι ἂν τὰ περὶ τὴν τῆς γυναικὸς ὁμιλίαν οἰκονομήσασθαι καλῶς. τοῦτο δέ ἐστι τὸ, ποιάν τινα δεῖ ταύτην εἶναι παρασκευάσαι. *id est: Quare oportet ea quæ ad conuersationē & societatem vxoris pertinent rectè disposuisse, hoc est, prouidisse ut talis sit, qualis esse debeat. Imbuuntur autem his rebus fœminæ, partim admonitionę & precibus, partim bonis consuetudinib. interdũ etiam correctione seueriori, aut etiã tolerantia & humanitatę quadã, præcipuè illæ, quæ nõ natura aut voluntate in vitia procliues sunt, sed casu animiq; perturbatione, sui oblitæ officij, peccant. Proximũ ab his est, vt opera & munera cuiq; obeunda, in quasdam veluti classes ordine distribuantur, quidq; faciendum cuiq; sit, præscribatur, vt & vir et fœmina ex æquo in studium & curam rei familiaris summo studio nitantur : quod Xenophon pulchrè in Aspasia nobis scriptum reliquit. Ipse quidem vir sedulò omnia quæ ad vitæ conseruationem, cõmoditatem, vtilitatemq; necessaria sunt, acquirat: illa verò laborę parta & acquisita, rectè dispenset. Ad quæ officia rerum parens Natura, vtriusq; tum animum, tum quoq; corpus finxisse for*

masseq́; videtur: alteri enim corpus durum, robustum, patiens frigoris atq; laboris, ad ea quæ foris essent obeunda: alteri molle, infirmum ac debile, ad ea quæ domi agenda, concessit. Animus quoq; alterius ita affectus est, vt domi malit esse: alterius, vt foris. Itaque ex his omnibus facilè quis intelligere poterit, quænã sit natura et vis prudentiæ rei familiaris, quæ in prima hac, viri nimirum & vxoris societatẽ, cernitur. Altera verò societas, & secunda prudentiæ pars in liberis consistit: ex quorum diuersa ad parentes habitudine, diuersa quoq; prudentiæ documenta oriuntur: horum enim alia ad parentes, alia ad liberos spectant. Parentes educationẽ & institutionem liberis, cæteraq́; necessaria vitæ præsidia debent: qui spectant in eos solos, neque aliud vllum possunt habere profugium. Liberi parentibus, quorum beneficijs maximè obligati sunt, officium, animiq́; gratitudinem. Nam (vt Aristoteles inquit) parentes, valentes adhuc animo & corpore, imbecillos suo labore atq; industria fouere debent, vt mox imbecilli ob senium facti, ac laboribus fracti, eadem à filijs expectent. Instituuntur autem liberi, totaq́; insuper familia, tribus potissimùm rebus: rationibus, legibus, consuetudinibus & exemplis. Rationes enim & cohortationes, consilia & sermones, docent, induntq́; desiderium, ac iuuentutem ad virtutem incitãt. Leges

partim

partim metu deterrentes, eos à vitijs coërcent: partim honoribus & præmijs allicientes, inuitant. Consuetudines autem & studia & exempla, animum formant & accendunt ad officiũ, ad æmulationem rerum honestarum, de qua Hesiodus præclarè loquitur: deniq; ad actiones omnium virtutum. Quæ quidem omnia in honesto, vtili & iusto conuenire decet, aut saltem duobus, ita tamen, vt primum locum occupet honestas, alterum iustitia, tertium vtilitas. Huius ergo societatis præcepta vniuersa, cùm pro naturalium facultatũ ratione & modo, tum pro diuersa ad se mutuò habitudine, traduntur. Vltima ac postrema societas est, quæ ad rem possessam pertinet, quæ quia tantũ paret (est enim omnino alterius, possessoris nimirũ) idcirco ex alterius præscripto viuit, nulla vel sanè exigua prudentiæ particula indigens. Inanimata enim res, & muta possesßio, quia ratione & mente vacat: itemq; animata, sed quæ ratione caret, brutorumq; est animantium, nullis omnino prudentiæ præceptis regũtur: soli serui, maximeq; hi qui non laborib. sed curandæ familiæ destinati sunt, quadantenus eius munere, vt Aristot. primo Politic. capite octauo scribit, donantur, vt dominorum præcepta & iussa facilius capessant, ipsorumq; voluntatibus libentius obtemperent. Porrò autem animatæ possesßionis, ad bruta animãtia pertinentis, varia re-

periuntur discrimina: quædam enim sunt mansueta, quædam fera & agrestia: veluti quæ in aquis, aëre et terra capiuntur. Mansueta tum ad vsum, tum ad fructũ, tum ad vescendũ accõmodantur. Vsum, vt, ad vecturam equi: venationẽ, canes: culturam terræ, boues. Fructũ ea præbent, quæ lac, lanã et pelles ad corpora vestienda, reliquaq; similia suppeditant, vt oues: quorũ etiam animaliũ magna ex parte, victu et cibo vtimur. Inanimata quoq; possessio, non est vniformis & simplex, sed alia quidẽ secundum naturam, alia præter naturam, alia medium locum obtinere conspicitur. Quæ præter naturam est, ea propriè ad acquisitionem nummorũ, & nummulariam pertinet: quæ mercaturam, quam ἐμπορίαν, *cauponariã, quam* καπηλίαν, *fœnerationem, quam* τοκισμόν, *& mercenariã, quam* μισθαρνίαν *Aristoteles appellare solitus est, continet. Est autem maximè præter naturam, quia extenditur in infinitũ: pecuniæ enim appetitio infinita res est, nullis conclusa terminis, minimeq; omnium ad tuendam societatem idonea. Sed enim possessio illa omniũ optima est, quæ naturalibus vsibus succurrit, & ad comparationem rerum in vita necessariarũ, quibus omnis societas continetur, est idonea: talis autẽ est ipsa agricultura, illarumq; rerum deinde quæstus, quæ ex terra proueniunt, ceu metallorũ, vt auri & argenti fo-*

diendi,

diendi, & lapidicinæ, & ſyluæ ceduæ: quæ quanquã non omnino præter naturam ſunt, tamen nõ ita humaniter fiunt atque agricultura: cùm in metallis fodiendis, terræ velut parenti, ac rerum omnium genitrici, afferantur manus, eius viſcera fodiendo: in agricultura autem fodiatur benignius, quippe cùm iuſta nec iniurioſa ſit huiuſmodi foſsio, neque violenta, ſed mitis & pia, quæ neque inhumaniter, neque ab inuitis extorqueatur. Huc accedit, quòd natura omnis educatio à matre eſt: quare & hominibus à terra, quum terra hominum pecudumq́ parens & educatrix exiſtat. Adde, quòd plurimùm prodeſt, tum ad robur & vires corporis, tum ad fortitudinem animi: quandoquidem & corpora robuſtiora facit per tolerãtiam laboris, & animos reddit imperterritos firmosq́ aduerſus imminentia atq́ impendentia belli pericula, propter exercitia perpetua tuendi ac defendendi res proprias, quæ vtplurimum neque munitionibus, neque propugnaculis coërcentur, ſed omnibus periculis, hoſtiumq́ irruptionibus ſunt expoſitæ, cùm cæteræ artes omnes non ad viriles labores, ſed muliebrem & effœminatam ſedulitatem ſint comparatæ. In harũ ergo rerum curam, prudens paterfamiliàs non minimam ſuæ diligentiæ, induſtriæ atque prouidentiæ vim collocarę, iisq́ adhibere nititur, vt non ſolùm qua rationę hæc ſingula

comparentur cōmodè, intelligat, sed etiam quomodo rectè conseruentur, cognoscat: deniq; vt singula rectè dispensentur, suisq; vsibus accōmodentur, studiose prouideat: etenim nulla quærēdi esset vtilitas, nisi quæsita quoque cōmodè conseruarentur, & suo loco suisq; temporibus in opportunos familiæ vsus, rationeq; & iudicio expenderentur. Propterea rectè Ouidius inquit:

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri:
Casus inest illis, his erit artis opus.

Hæc de rei familiaris prudentia, quam Aristoteles tum in libris Oeconomicis tum in Politicis, doctè ac copiose explicat, dixisse sufficiat.

DE PRVDENTIA CIVILI.

Cognita natura prudentiæ œconomicæ, ciuilis explicationem aggrediamur necesse est: quæ quāquam in maiori iam versatur societate, eaq; perfecta, & nullo indiga, quam Ciuitatem appellamus, ex iisdem tamen propémodū principiis, iisdemq; ferè membris constat, quibus domus. Est autē & ipsa quidem, propter varias ac diuersas partes, varia & multiplex: quādoquidem Respub. aut legibus, aut recta rerum gerendarū administratione necessariò conseruatur. Recta administratio, in deliberādo, & consultando, & iudicando posita est. Prior legalis, altera deliberatiua, tertia iudicialis vocetur. Legalis prudentia est,

quæ

quæ legibus præest: cuius officium in condendis optimis atq; vtilissimis ciuitati legibus, quæ tum ad mores ciuium, tum ad vrbis situm accõmodatæ sint, cernitur. hæcq; ab Aristotelę ἀρχιτεκτονική appellatur, quoniã totius ciuitatis incolumitatẽ respiciens, sola imperat, ac veluti peritissima nauis gubernatrix puppi insidens, manu clauum tenet, quid agendũ sit, quidue omittendum, præscribens vetansq;: omnibusq; inferioribus artibus et scientijs, quæ ad conseruandam societatẽ hanc pertinent, imperans: etenim (vt Aristoteles primo Ethic. inquit) & quas scientias artesq; in ciuitate esse deceat, ostendit: & quales, & quousq; vnumquenq; discere oporteat, commonstrat. Vnde non immeritò architectonica appellatur, & prudentia vniuersalis, quia nihil agit, sed tantùm rationem agendi præscribit vt architectus. Altera verò ciuilis prudentiæ pars ab eodem Aristotele particularis, & nominę generis πολιτική nuncupatur, quæ propriè agit, inq; rerum administratione agendarum, vt prior illa in vniuersalibus, versatur: versatur inquam in actionę rerum particularium, quia exequitur ea quæ à legibus præcipiuntur. Et propterea hi soli ciuitatẽ administrare dicuntur, legislator autem regulas & præcepta rectè & iustè viuendi tantùm præscriberę. Neq; verò ad rem pertinet, quòd legislatores quãdoq; ad Reipub. guberna-

cula vocantur: ea nanque si suscipiunt, non ut legislatores id faciunt, sed quatenus magistratus gerunt: quia accidit legislatori agerę, perinde ac musico albescere, aut architecto quandoq; manib. artem exercere. Est igitur legislatrix facultas architectonica, et princeps: politica verò seu ciuilis, ministra & famula eiusdem. Atque hæc quidem prudentiæ pars, magistratus, eorumq; qui Rempub. administrāt, est propria: etenim hi agunt propriè, eaq; omnia quæ leges iubent, exequuntur: vnde etiam custodes legum appellantur. Exequuntur autem præcepta legum, aut deliberando & consultando, aut iudicando. Deliberando quidem, cùm de vtilitatibus publicis, ac Reip. cōmoditatibus, tranquillitateq; ciuiū consultant. Iudicando verò, cùm bene & modestè se gerentes, honoribus ac præmijs afficiunt: immodestos autem legumq; contemptores & ciuilis societatis perturbatores, pœna inflicta coërcent. Porrò omnis consultatio, vt Aristot. primo Rhetoric. lib. inquit, de quinq; potissimū rebus instituitur: aut enim de quæstu, aut de bello & pace, aut de custodia ciuitatis, aut de ijs quæ inuehuntur & euehuntur, aut de legibus deliberatur: quarum rerum consideratio omnium ad Magistratum pertinet, cuius officiū est, Rempub. administrare, saluam et incolumem, vt leges præscribunt, conseruare. Ex quo perspicuum est, legislatricem facultas-

cultatem longè præstātiorem esse ciuili prudentia, ac perinde se ad illam, quemadmodum architectus ac princeps ad suum subditum ac ministrū habere.

IVRISPRVDENTIAM, NEQVE legalem neq; politicam esse prudentiam, sed mediam inter utranq;.

Posita hac diuisione prudentiæ, facilè iam inuentu est, ad quam ipsius partem Iurisprudentia sit referenda: quandoquidem neque ad vniuersalem illam neque ad particularem simpliciter & absolutè reduci potest: sed mediæ videtur, & inter vtranq; ambigentis, naturæ, atqueadeo vtriusque particeps esse. Nam ad νομοθετικὴν, *hac potissimū de causa referri nequit, quia legislatoris propriū officium est, leges ciuitati condere: at Iurecōsultus leges non condit, nisi ex accidenti id fiat. Deinde legislator tractat vniuersalia &* θέσιν, *nil agens, sed quid agendū sit præscribens: Iurecōsultus verò particularia et* ὑπόθεσιν, *propterea quòd non solùm generatim naturā legum contemplatur, sed etiam actiones in ciuili societate efficit: quandoquidem præcepta à legislatore præscripta, ad causarum disquisitionem & consultationem accōmodat. Rursus omnifariā à legali disciplina separari non potest: quoniam legislatores & Iureconsulti habent idem genus subiectum, eandemq; materiam, leges videlicet, actionesq; ciuiles ac legitimas.*

Huc accedit, quòd vterque totius Reipub. conserua tionem incolumitatemq; conseruare atque custodire nititur. Iam verò neq; ad ciuilem prudentiam simpliciter & per se reducitur: quandoquidẽ huius officium est, ea exequi quæ à legislatore sunt constituta, ac circa particularia & indiuidua tantùm cogitare deliberareq;. Sed Iureconsultus omnium legum naturam facile per se contemplari potest, neque exequitur ea quæ à legislatore sunt præcepta, tantumq; de ijs quæ accidunt, consultando deliberat, quídue in omnibus actionibus faciendum is iusserit, dilucidè ostendit. Quare necessariò hinc colligitur, Iurecõsultum medium locum sibi vendicare, & vtriusq; naturam ac prudentiam participare. Statuendum igitur est, legislatorem esse optimum condendarum legum autorẽ ac principem: Iurecõsultum earundem peritum interpretem: Magistratũ diligentissimum prædictarum executorem. Verùm id quoq; inter Iureconsultum & legislatorẽ non parum interesse existimandum est, quòd legislator rationem omnium legum nouit veram & immediatam & proximam, vnde etiam rectè ἐπιστήμων appellari posset: Iureconsultus, nõ proximam & necessariam, sed potius probabilem, & coniecturis verisimilibus constantem, vt πεπαιδευμένον rectius quàm scientificum nuncupare liceat, quod etiam ipsius nomen attestari vide-

videtur. Iurisperiti enim à peritia nominantur, quæ nil aliud est quàm solertia quædam, probabiliter rem inuestigandi ac cognoscendi efficiendiq́ue, quæ à vera scientia, & causarum proximarũ comprehensionẽ multum differt. Atque hoc est quod Aristoteles primo de partibus animaliũ nobis scriptum reliquit, inquiens, in omni scientia, & in omni disciplina, quæ ordine scilicet et modo procedit, siue nobilioris sit ordinis, siue ignobilioris conditionis, duos habitus esse posse, quorum alter rei ipsius sit scientia, cùm videlicet ex veris & immediatis procedit causis, vniuersam ipsius essentiam declarantibus: alter verò peritia quædam, quæ ex vniuersalioribus ac probabilib. poßit de qualibet re suam ferre sententiam, & perspicaciter & appositè iudicare, rationẽ adiuncta, vtrúmne rectè, an secus, in medium sint adducta facta'ue. Itaq; Iureconsultũ peritum artificem nuncupamus: legislatorem verò scientificum & intelligentem. Concedimus insuper medias ipsi partes inter legislatorem & magistratũ politicum, ita quidem, vt quantum præstantia vincitur à legislatorẽ, tantùm cognitionẽ iusti & iniusti superet magistratum.

DE DIGNITATE ET PRAEstantia Iurisprudentiæ.

Ex superiori disputationẽ dissoluitur facilè, hactenus diu multumq́; in scholis de præstãtia ac digni

tate Iurisprudentiæ agitata controuersia, qua quæri solet, nobilitaténe medicinam, cæterasq; disciplinas anteuertat. Nemini enim dubium est, habitus animi actiuos, eorumq; quorum finis actio est, præstare habitibus factiuis, qui opus aliquod actionẽ efficiunt: idq; duabus potissimũ de causis, cùm quia circa nobilius versantur subiectum, & in præstantiorem magisq; expetibilem destinantur finem. Nam quemadmodum Aristot. primo de Anima inquit, scientiæ et habitus dignitas, tribus potissimũ solet æstimari rebus: genere subiecto, fine, & modo demonstrandi: ideoq; scientiam scientia præstantiorem esse, quæ nobilius habeat genus subiectum, aut melioris gratia finis sit adinuenta, aut certiori vtatur generẽ demonstrationis. Quæ si vera sunt, necessariò efficitur Iurisprudentiam dignitatẽ finis & generis subiecti reliquis omnibus artibus præstare: neque solùm artibus, sed etiam alijs habitibus, qui in actione consistunt. Fine equidẽ cæteris artibus præstat, propterea quòd Iurisprudentiæ finis est ipsum bonũ simplex, summum & extremum, quod per se tantùm expetitur, & ad quod cætera omnia tanquam ad perfectissimum & vltimum aliquod referũtur. Hic porrò finis, est ipsa felicitas, quæ in societate humana spectatur. Sed artes vniuersæ, quanquã et ipsæ bonũ aliquẽ finem expetant, is tamen nõ simpliciter bonus est, sed cum ad

iunctio-

iunctione: quinimò earum finis, est pars & portio summi illius boni, quo fruitur Iurecõsultus: Vt, artis ædificandi finis, est ipsa domus: texendi, pannus: medicinæ, sanitas: quæstuariæ, pecuniæ: quæ omnia etsi bona sint, non simpliciter tamen talia sunt, sed ad felicitatem illam referuntnr, quam Iureconsultus nititur conseruare atque custodire: quæ non ex corporis tantùm, sed etiam animi & fortunæ bonis consistere, rectè aliàs fuit demonstratum. Iam verò genere subiecto alias artes à Iurisprudentia longè superari, quis non videt? quippe cùm earũ subiecta, aut corpora sint, aut res corporeæ: Iurisprudentiæ verò longè diuinius quiddam, homo videlicet, quatenus ratione præditus est, eaq; in societate hac, et ciuili communione vtitur: quam Iureconsultus omnibus virtutum generibus, maximè verò ea quæ ad iustitiam pertinet, instructã ornatamq; efficere conatur: quorum profectò nihil artes efficiunt per se, sed per accidens tantùm: contingit enim cõseruato corpore, animum quoq; conseruari. Quemadmodũ igitur Iurisprudentia artibus præstat, ita quoque cæteros habitus qui in actione cernuntur, longo post se interuallo relinquit. Etenim ciuilis facultas omnium aliorũ habituum regina est & princeps, vt Aristot. in Ethicis copiose disputauit: quia & scientijs & artibus, itemq; potentijs & facultatib. præcipit, earumq; gu

bernatrix est & domina: nec solùm illis imperat, sed iisdem quoque vtitur, perinde vt architectus præcipit vtiturque suis ministris. Sed sapientiæ nō ita imperat, vt cæteris artibus: quandoquidem sapientia præstantior & dignior est prudentia ciuili, cùm ratione partis in qua posita est, tum quia prudentia refertur ad sapientiam tanquam ad caput omnium habituū ac facultatū. Atque idcirco si prudentia & ciuilis facultas iubeat, ac sapientiæ præcipiat, attamē dignior propterea non est: quandoquidem & medicina præcepta tradat de conseruanda sanitate, melior tamen ea non sit: neque theologia Deo. Itaque vt aliqua scientia & ars sit domina & princeps cæterarū artium, necessarium est duas concurrere cōditiones: primò quidem, vt præcipiat alicui scientiæ & facultati, vt architectus ministris: deinde verò, vt illa vtatur. Quòd si hæc vera sunt, itemque illud, Iurisprudentiā ciuilis facultatis esse quandam partem, quod antea probatum est, certè necessariò cōficitur, Iurisprudentiam cæteras artes et scientias omnes quæ in actione cernuntur, finis ac subiecti generis nobilitate superare atque antecellere. Ex his igitur perspicuum iam esse arbitror, quomodo Iurisprudentia ars sit appellanda, & in quo artium genere sit collocanda.

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER TERTIVS.

CVM in superiori disceptatione multis atque perspicuis rationibus, Iurisprudentiam non artem propriè, aut scientiam, sed prudentiam esse confirmatũ sit, & ad quam eius partem referenda, satis perspicuè, vt arbitror, ostensum: deinceps nõ sine causa quærendũ esse existimo, artificiosè ne & via quadam, quam Græci μέθοδον appellant, tradi ac doceri possit: an verò (vt pleriq; opinantur, ijq; non indocti) sola experientia comprehendatur, neque certa ratione, vt cæteræ disciplinæ, circunscribi valeat. Est enim hæc controuersia, sicut aliæ non paucæ, à plerisq; huius nostri temporis eruditis Iureconsultis, minus tamen methodi & ordinis præceptionibus eruditis, attentata: à nullo tamen, quod sciam, adhuc perfectè explicata. Verumenimuero quia hæc difficultas antea cõmodè neq; explicari, neque dissolui potest, quàm de fine & genere (vt nostri loquuntur) subiecto Iurisprudentiæ, ipsiusq; docendi ordine (quibus quasi fundamẽtis hæc disceptatio nititur) nõnihil dicatur, idcirco eam ad finem huius operis, ne eadem sæpe iterare ac repetere necesse sit, tractandam suscepi: cognita enim integra perfectaq; Iurisprudentiæ natura, facilè quoque id quod

nunc quærimus, intelligetur. Dicam interea de ordine doctrinæ, & collocatione huius artis, seu ciuilis prudentiæ, ut quisq; perspectū habeat, quem locum inter cæteras eiusdem ordinis disciplinas ea sibi vendicet: quoniam cognito hoc ordine, non solùm quæ disciplinæ ad veram & solidam, nō umbratilem et fucatam eius cognitionem aspirantibus, comparandæ sint, sed etiam à qua (siquidem rectè, & ut ipsa rerum postulat natura ac veritas doceatur) initium sumendū sit, ex hac cōmentatione perspici poterit. Maxima enim & certè cuiusq; rei potissima, ut Plato nosterq; Iureconsultus testantur, pars, principium est, à quo si quis vel minimum aberrarit, eum in infinitos & inextricabiles errores incidere necesse est. Sed ut planius & apertius res intelligatur, utar instrumento resoluendi, quod aptissimum est ad inueniendas artes & scientias, et ad quæstionū quæ dubitationē habent, disquisitionē summopere necessariū.

Nemini ergo dubium est, Iureconsultum versari in cognitione ipsarum legum, et notitia actionum humanarum atque ciuilium, quæ vel legibus fieri iubentur, vel iisdem prohibentur: quemadmodum & legislator, qui ratione tantùm à Iureconsulto, ut antea ostensum est, distinguitur. Ex qua hypothesi, duplex sese nobis offert quærendi ac inuestigandi modus, quorū alter ad actiones, alter ad leges pertinet.

Siue

Siue igitur ab actionibus, siue à lege exordium resolutionis sumas, in eadem principia decumbes: actiones enim & leges ita sibi societate coniunctæ sunt, vt alterum sine altero explicari nequeat: ac proinde necessarium sit, vno eorum in suas causas, principia atque elementa diducto, alterum pari rationis modo in eadẽ dissolui. A lege ergo, ipsiusq; notione, sumamus exordium.

Lex, vt Marcus Tullius interpretatur, à legendo dicta est Latinis: Græcis, à suũ cuiq; tribuendo: nam vt hi æquitatis, sic illi delectus vim in lege ponunt. Proprium tamen vtrunq; legis est: deliguntur enim ea, quæ æqua sunt et iusta: et lex nihil aliud est, quàm iustorum iniustorumq; distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, & defendunt ac tuentur bonos. Aequũ igitur & iustum quiddam lex est, quapropter & bonum, & bonum quidem homini necessarium: quia lex, est perfectio & quoddam vinculum, quo custoditur vita & societas hominis, & coniunctio hominum inter se, perinde ac sanitate cõseruatur corpus, & virtute animus. Et quemadmodum corpus humanum sanitatis causa, & animum virtutis gratia, omnibus à Natura datum hominibus parente rerum esse constat, ita hominem

ab eadem natura, ad colendam societatem factum, eiusq; conseruandæ gratia in hanc lucem æditum productumq; esse, perspicuum est ac manifestum. Cuius quidem rei firmissimum argumentum est, & quotidiana rerum, vitæq; omnis magistra, experientia, quæ non tantùm homines, sed ne bruta quidem animantia, sine societatę & perpetua ad se inuicem vitæ consuetudine, cōmodè viuere posse attestatur: & principia illa, quæ omnis cōmunitatis & societatis sunt quasi perpetuum quoddam & indissolubilę ligamentum, ratio inquam & oratio: quibus adiuncti sunt, tanquā satellites ac nuncij quidam, ipsi sensus: figura insuper corporis habilis, & apta ingenio humano moderatio vocis: deniq; omnes illæ rerum præstantissimarum scientiæ artesq; innumerabiles, quæ omnia cōciliant inter se homines, coniunguntq; eos naturali quadam societate, sine qua, vt Tullius ait, ipsorū vita infinitis calamitatibus subiecta, morti magis quàm vitæ similis esse censetur. Porrò autem omnis societas, cùm aliquorū, eorumq; inter se consentientiū societas sit, in multitudine spectatur: neq; enim ad constituendam societatem, vnus vel alter sufficere potest, sed omnino necesse est multas esse partes, & quasi membra, ex quibus omnis sociata multitudo veluti quoddam corpus coalescat, constituaturq;. Et quemadmodum partes in corpore humano

mano

mano variæ sunt ac diuersæ, nec inter se tantùm certo quodã & constanti ordinẽ compactæ, sed etiam ad totius integritatẽ constituendam, inter se conspirantes consentientesq́; à natura coagmentatæ: ita hæc societas atque cõmunitas ex varijs collecta hominum ordinibus, ac dignitatũ officiorumq́; distincta varietatibus, admirando ordinẽ, ac pulcherrimo quodam connexu, vnita componitur, ac perindè vt harmonia quædã, ex temperatione grauium, acutarum & mediarum vocum concinnatur: eademq́; tantisper conseruatur, dum certa atq; laudabili rerum omnium administrationẽ gubernatur, ac pereunte et dilabente ea, illicò dißipatur atq; dissolui tur: & vt semel dicam, quemadmodum ex multorum concordia, omnis societas conciliatur, ita ex eo rundem dissensione ac discordia, eadem cõmunio diuellitur ac dißipatur. Itaq; vt hæc societas quamdiu tißimè & firmißimè constaret, neq; constituta iam & coalita statim rursus dissolueretur, prudẽtißimæ matrisfamiliàs Naturæ, nõ satis fuit hominẽ ad hanc societatem ineundã colendãq; fabricasse, sed etiam operæpretium erat quædam instrumenta ac vincula, quibus ea conseruari atq; custodiri posset, hominibus ad hanc natis, largiri atque suppeditare: quippe cùm omnia, siue duo vel plura sint, ad cohærendũ tertium aliquod requirant, & quasi nodum vincu-

lumq; desiderent, quo se concordi quadam amicitia & mutua charitate complectantur. Sed vinculorũ id est aptissimum atq; pulcherrimũ, quod ex se, atq; de his quæ astringit, quãmaximè vnũ efficit. Id optimè assequitur ἀναλογία, hoc est, comparatio, seu proportio, quæ maximè in iustitia cernitur, cuius gratia omnis societas instituitur. Porrò autẽ omnes naturæ, quæ non solitariæ sunt, neque simplices, sed cum aliis coniunctæ, atq; proportionẽ quadam connexæ, tum rectè conseruantur, cùm aliquis principatus iis inest, à quo cætera tanquã à principe & ducẽ aliquo dependent, cuiusq; nutu atq; imperio gubernantur: quod quidẽ in hoc amplissimo theatro, quod mundũ appellant, itemq; in paruo illo, qui ipsius magni quoddam est simulachrũ, licet euidenter cognoscere ac intueri, quibus inest quædam vis præcipua, ac principatus, quod ἡγεμονικὸν Græci vocãt, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius. Etenim in magno illo mũdo, in quo omnes quotidie versamur & viuimus, vnũ videmus esse principem, vnumq; magistratum præstantissimum, optimum, sapientissimũ atq; potentissimum, quem Deum appellamus, cuius perpetuo nutu atq; prouidentia, vniuersum cœlum, terra, maria, & quæ in his cõtinentur animalia, stirpes, plantæ, & quicquid tandem in toto orbe est, gignitur, genitumq; sua bonitate

nitate alitur atq; conſeruatur. Idemq́; in paruo mundo, quem philoſophi hominem appellant, reperitur, in quo animus corpori, & in animo mens cupiditati & iræ, tanquam rex, imperarē creditur: cuius tranquillitatem & harmoniam tantiſper permanerē ac durare videmus, donec imperio mentis dominanti, inferiores animæ vires obſequuntur. Quòd ſi à ſuperioribus illis naturis, ad inferiores vltimasq́; procedere volumus, eadem certè, aut ſuperiorib. ſimilia adinueniemus: nam & in bellua quiddã ſimile mentis eſt, vnde oriuntur motus, rerumq́; appetitus: ex quo acceſſus ad res ſalutares, à peſtiferis receſſus. Et in arborum quoq;, & earum rerum quæ gignuntur à terra, radicibus ineſſe principatus putatur. Quod ergo in cæteris rebus omnibus, quæ ſocietate quadam coniunctæ ſunt, reperitur, id in præſtantiſsima ac nobiliſsima generis humani natura, eiúsque ſocietate ac conſuetudinē, multò prius exiſtere credendum eſt, eamq́; ſicut & cæteras res et animalia vniuerſa, ab vno aliquo ſummoq́; duce, rectè & ſapienter gubernari atque cuſtodiri exiſtimandũ, vt ſapienter Homerus dixit:

οὐ μὲν πως πάντες βασιλεύσομεν ἐνθάδ' ἀχαιοὶ
οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Quinimò quò hæc ſocietas et cõmunio hominũ inter ſe, cæteris ſocietatibus longè præſtantior & nobilior

est, eo quoq; principatũ eius omnium optimũ, omniumq́; rerũ nobilißimũ atq; præstantißimũ esse necesse est. Porrò autem is optimus est magistratus, maximeq́; ad conseruandam societatẽ idoneus, qui potißimũ subditos ad felicitatẽ perducere, eosq́; ad tranquillitatem et iustitiam reuocarę, atq; in ea quãdiutißimè retinerę potest atq; cõseruare. Vnde fit, vt iustißimum, optimum & æquißimũ magistratum esse necesse sit, eundemq́; syncerũ atque incorruptum ab omni vitio, animiq́; perturbationę solutum ac liberum, qui neque seductionę aut fraude fallatur per ignorantiam, aut odio, vel nimia indulgentia vim Reipublicæ inferentibus, & societatis ciuilis perturbatoribus aßentiatur, neque vlla occasionę, aut vtilitatis spe, à iustitiæ semita ad iniustitiæ diuerticula flexionesq́; pertrahatur, sed vt Euripides inquit,

τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος, τοῖς δὲ αὖ κακοῖς
πάντων μέγιστος πολέμιος, κατὰ χθόνα.

Quam sententiã Themistius philosophus sequutus, illum principatus et imperij nomen verè gerere existimauit, qui auro inexpugnabilis, rationem ducem in omnibus rebus sequatur, libertatem exerceat, virtutem laudet, contumaciã & inhonestas vitæ actiones odio ac pœna persequatur. Huc quoq; pertinet quod apud Plutarchum legitur, Thebis iudicũ imagines absque manibus, & supremi iudicis oculos conniuen-

niuentes videri, eò quòd iustitia nec manibus capiatur, nec hominum vultu flectatur.

Verùm non satis est hunc magistratũ iustum esse, sed eum prudentia quoq; & sapientia reliquis antecellere oportet. Qua enim ratione societatis cõmoda vtilitatesq; perquirere, incõmoda verò eiusdem euitare poterit atq; depellere, & pro dignitate seu meritis, præmia & honores bene se gerentibus ciuibus distribuere, pœnasq; inobedientibus infligere, denique à vitijs malisq; impendentib. siue prudentiæ præceptis institutisq; coërcere? cuius profectò ea vis est, vt nec iustitia, nec reliquarum virtutum vlla, sine ipsius præsidio incolumis cõsistere queat. Ad hæc, ut tranquillitas in societate ac Repub. conseruetur, & vnumquodq; ad propositum finem perducatur, omnino potentia opus est: quia potentia veluti manus iustitiæ est, sine qua nulla actio rectè obiri potest. Denique vt ad cuiusque vtilitatem cõmodè benigneq; ea quæ geruntur, conducant, clementia & humanitas magnopere prouidet. Etenim vt turpe est pastorem oues suas odisse, & pecorib. quæ tueri debet, infensum esse: ita in magistratu seueritas, sine humanitate adiuncta, omnino est vituperanda. Nec ineptè Demosthenes multos regum ac principum sine mente, imperitos statuarios imitari inquit, qui colossos ita demum putãt magnos videri, si multum diuarican-

tes, distentos & hiantes fecerint: nam & illi principes grauitatę vocis, asperitate vultus, difficultatę morum, & conuersandi aspernatione, magnitudinem ac seueritatem imperij exprimerę se existimāt. Ex quo satis patêre arbitror, quatuor hæc necessariò ad omnem principatum requiri, eumq; & iustum, prudentem, potentem ac clementem esse debere, qui rectè alijs velit imperare.

Quid est autē, nō dicā in hominę, sed in omni cœlo atq; terra, ratione, qua cætera sunt omnia expertia, melius atq; præstantius? quid sapientius? quid potentius & benignius? quæ cùm adoleuit, recta ratio, & ritè sapientia nominatur: hæc ita constans & firma est, sibiq; semper similis, vt nec amore nec inuidia patiatur se ab honestate atq; iustitia vnquā abduci: quam qui sequūtur, iusti & sapientes appellantur: eademq; tantam vim, tantamq; insitam potestatem continet, vt pertinacißimos hominum animos, efferatasq; & barbaras mentes, ad virtutis cultum etiam inuitos quandoq; pertrahat, & à vitijs ac vitæ turpitudinę, sceleratißimos atque flagitiosißimos quosque suo robore auocet absterreatq;. Hæc sola hominum cœtus primū congregarę, societatesq;, si experientiæ credimus, colligerę, easdemq; collectas & iam constitutas, conseruare atque custodirę cœpit: quam quæ sequutæ sunt societates, quādiutißimè vi-

guerunt,

guerunt, & ab omni perturbatione inconcussæ atq; illæsæ perstiterunt. Neque verò benignitate atq; clementia rationem vacare arbitrandũ est: quippe cùm bruta animãtia ex eo efferatiora & immaniora sint & habeãtur, quòd hac ipsa careant: cuius cùm quædam ex ijs vel minimam particulam adipiscuntur, mitiora fiunt & humaniora: vt canes, & reliqua huius generis non pauca, quæ nos domestica appellamus: à quarum natura longissimè absunt leones, vrsi, apri, & quæ his sunt similia. Ac proinde inter homines eum quoq; maximè humanum, liberalem, iustum & sapientem esse videmus, qui refrænatis ac domitis animi affectibus atque perturbationibus, in actionibus vitæ cùm potest licetq; (possumus autem omnes semper) rectam rationem tanquã ducem sequitur: à qua si abducitur, in infinita incõmoda & errores inextricabiles incidit. Recta ergo ratio dux est, & magistratus, et vinculum huius societatis, ad quam nati sunt homines à natura: quæ tantisper salua & incolumis permanet, dum eidem paretur & obtemperatur. Porrò autem recta ratio nihil aliud est, quàm ipsa lex: quia ratio, est ipsius legis forma & essentia: quemadmodum anima & mens, est forma corporis. & proinde nomen quoque non temerè, vt Plato ait, lex menti ac rationi proximum obtinuisse creditur: quippe cùm νόος mentem ac rationem,

νόμος verò legem significet, sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum genus vniuersum stare, nec rerū natura, nec ipse mundus potest: hæc enim præest, præscribitq́ recta & vtilia, et coniuncta atq; consentanea naturæ, & vt Chrysippus ait, tam diuinarū quàm humanarū rerum omnium regina est, non solùm rebus honestis turpibusq́; præsidens, sed etiam principatum ac ducatum tenens, & per hoc regulam præscribens iustis simul & iniustis, vtpote quæ animantibus natura ad colendam societatem idoneis facienda iubeat, prohibeatq́ nō facienda. Vtrāq; vocem Cicero expreßit: Lex (inquit) illa quam dij humano generi dederunt, est ratio mensq́ sapientis. Idem præclarè scribit, Legem magistratui, populo magistratum præesse: vereq́ dici posse, magistratum esse legem loquentem, legem autem magistratum mutum. Neq; ab re olim præstantißimi illi ac celeberrimi, Minos, Lycurgus, Solon, Græcorū legislatores fecisse videntur, qui suas quas populo condebant leges, in tria numina, Iouem inquam, Solem & Mineruam retulerunt: etenim cùm Sol, quia Planetarum dominus est, potentiā, Iupiter clementiam, Minerua sapientiam significet, legibus hæc tria, quarum descriptione omnis societatis moderatio continetur, inesse debere arbitrati sunt. Aristoteles quoq; in Polit. scribit, multò vtilius esse parêre optimis legibus,

bus, quàm optimo viro, quòd in ijs τὸ παθητικὸν nõ ſit, hoc eſt, quòd neque perturbationibus animi, neque motibus concitatis, vel ad iram, vel ad cupiditatem, aut amorem, vt hominum animi, flectantur: et qui legem Reip. imperare iubeant, eos ipſum Deum præficere videri: qui autem hominem, belluam præeſſe uelle: quippe cùm libido talis ſit, quæ etiam viros optimos ad iniuſtitiam, ad odium atq; fauores incitare poſſet. Et Plato νόμον θεῖον & θαυμαστὸν appellat. Quò Cicero reſpectãs, leges expreſſas eſſe dicit ad principem omniũ rerum naturã, & à numine deorum tractam rationem. Et Homerus à Ioue datas leges ad nos manaſſe: οἵτε θέμιστας πρὸς διὸς εἰρύαται. &c. ſunt enim ſtabiles, perpetuæ, æternæ, et ab omni cupiditate liberæ, ſiue ſcriptæ illæ ſint, ſiue non ſcriptæ: & hæ, aut ſumma illa, quæ diuina mens eſt, æterna prohibendi imperandiq; ſapientia, ſiue quæ proximè hanc attingit, in humana mente lucens recta agendi ratio: & hæc, ſiue lex naturæ ſit, ſiue ex huius fonte manans æquitatis iudiciũ, ſiue quæ conſuetudine recepta eſt, bene viuendi diſciplina. Lex ergo, vt ex hac cõmentatione liquet, vinculum eſt & cuſtos atque princeps humanæ ſocietatis: quapropter & perfectæ ſocietatis: hæc enim aut pars eſt, aut certè altera ſocietatis differentia: & quod alicui toto conuenit, id quoq; totius parti conuenire neceſ-

se est. Sed enim perfecta societas ciuitas est, propterea quòd, vt Aristoteles primo lib. Politic. inquit, ea nihil aliud est, quàm ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος. ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας. γινομένη οὖν τοῦ ζῆν ἕνεκα, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν. *Legem ergo vinculum, & principem, & summum ciuitatis magistratū esse necesse est. Vnde rectè, mea quidem sententia, Martianus ex Demosthenę & Chrysippo legem descripsisse videtur, cùm ait, Legem esse cui omnes homines parêre debeant, multis de causis, tum præcipuè, quia est inuentum quoddam & munus deorum, decretum prudentiū hominum, consultorū inconsultorumq́; flagitiorum emendatio: conspirantis deniq; ciuitatis conuentū, ad cuius præscriptū ciues omnes vitam instituerę debeant. Et non minus præclarè inquit Cicero, vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus & neruis, ac sanguine & membris, viuere non potest. Legum ministros magistratus, legum interpretes iudices, legum denique seruos omnes esse: nam his aut oppreßis aut neglectis, nihil esse quod suum quisq; poßit dicere, nihil certum haberę, nihil quod liberis suis se relicturū sperare poßit. Bene & Papinianus, cōmunem Reipub. sponsionem: & Lycophron Sophistes, pactum quoddam consentientiū inter se ciuium appellauit. Ex qua cōmentationę id effici constat, eum qui vel*

leges

leges societati ac Reipub. bonas et salutares constitue re, vel eas cōmodè & vtiliter interpretari velit, totius Reipub. naturam, partesq; ipsius & earum officia viresq; exactißimè prius ac penitus discere atq; cognoscerę oportere. Itaq; sæpißimè admonet Plato, legislatori principiò omnium tenendum esse, ac diligenter peruestigandū, Reipub. statum: cognoscendas cōmunitatis uniuscuiusq; partes, discendos mores, ac probādos animos & ingenia ciuium: ea deniq; perlustrāda omnia, quæ vel ciuili societati prodesse, vel eidem obesse possunt: quod quidem non ratio tantū, sed & cæterarū artium scientiarumq; omniū præcepta planißimè demonstrant. Nam vt à minimis notißimisq; incipiam, quæ ars aut vilior aut abiectior est, ad vsus tamen hominum vtilis & accōmodata, quàm pastorum & bubulcorū? quorum tamen ea est circa equorū, ouium, boum, caprarū culturam fœturamq; peritia, tantaq; pastionis, medicationis atq; educationis scientia, vt sine perfectißima rerum omnium, naturæ inquā, morū, proprietatū, cæterarūq; rerum comprehensionę ac disciplina, nullum in bonum pastorem aut bubulcū euaderę posse fateantur. Quid de agricultura dicemus? an'ne agricolā illum esse putabimus, qui terræ illius quam ararę nititur, aut instrumentorū quibus ipsi ad agriculturā opus est, aut seminū leguminúmue atq; frumentorū quæ

mandantur terræ, naturā, genera, vireſq; & facultates, item quo tempore vnūquodq; horum parandum, quomodoq; & quantum, & quo loco, et quid vbique ſerendū ſit, nunquā cognouerit? Certè ne cytharœdi quidem & muſici, ſine cognitione chordarum inſtrumentorūq;, rectè & ſuauiter vnquā lyram, temperatione vocum acutarū, grauium et mediarum concinnabunt: nec pictores, ſine notitia colorum ac lineamentorū, artificioſe pingent: neq; coqui ſuaui obſoniorū ſeu condimentorū præparatione palatum vnquam delectabunt, niſi quæ dulcia, quæq; amara ſint, quomodoq; hæc inter ſe miſceri & temperari, et temperata cōmodè, quas vires facultateſq; ſenſui imprimere poßint, longa experientia ac labore didicerint. Sanè ſi vilioribus & ignobilioribus artibus prætermiſsis, in nobiliores præſtantioreſq; ſcientias ac diſciplinas, & cum noſtra Iuriſprudentia maiorem ſimilitudinē atq; comparationē habentes, oculos cogitationeſq; noſtras dirigamus, nullam profectò earum omniū, ſine generis ſui ſubiecti cōtemplatione, aut materiæ in qua verſantur, cuiuſque actiones & paßiones cognoſcunt, ſcientifica præcepta ſeu theoremata præſcribere poſſe adinueniemus. Quapropter & geometra, qui quantitatis continuæ paſſiones propriaſq; eius affectiones, quas Græci πάθη vocant, cōtemplatur, eas nō niſi cognita prius quantitatis

titatis

titatis natura, partibus ac differentijs, ex quarũ varia habitudine & ἀναλογία præcepta constituuntur, methodo inuestigatis, adinueniet, ac de proprio generę subiecto demõstrabit. Et astronomus qui eandem quantitatẽ, sed mobilem considerat, per quã cœli ac syderum motus, autorẽq́ diei ac noctis, & mensium & annorũ inspicit, sine totius huius egregiæ et nobilissimæ machinæ, quam cœlũ appellamus, structura, eiusq́ & partium, locorũ & regionum contemplatione, nihil quicquã de multiplici syderũ motu, varioq́ partium vsu, facultate actioneq́ disputabit. Ad cuius rei confirmationem facit, quòd & geometræ & astrologi, simpliciterq́ aliæ artes ac disciplinæ omnes, initio suorum librorũ, priusquã ad theorematum demonstrationẽ se accingant, loco principiorum generis subiecti, eiusq́ partium, definitiones seu descriptiones, variasq́ & multiplices earum diuisiones subijciunt: vt, quid sit punctum, quid linea, quid superficies, quid corpus, quid triangulum, quid quadratum, & id genus reliqua: ex quibus primis atque necessarijs principijs scientificas tandem demonstrationes concludunt. Eademq́ in physicis, ijsq́ artibus quæ in naturæ consideratione positæ sunt, inueniuntur. Etenim vt motionũ ac mutationum omnium ὅσίαν & affectiones et differentias inueniant, prius corporis physici prima principia atque elementa, ex

quibus superiora pendent oriunturq́ʒ, diligenter inquirunt. Sanè & medici, qui sanitatis conseruandæ morbiq́ʒ profligandi præcepta tradunt, eodem docendi & medicandi ordinę vtuntur. Vt enim præstantißimum ac nobilißimũ hoc bonum corporis cōmodè adipiscãtur, totius corporis sectionę, quam ἀνατομὴν vocant, adhibita, cōpositionis & fabricæ rationem oculis & ratione perlustrant, & naturam, quantitatemq́ʒ & qualitatem, conformationẽ, figuram, omniũ deniqʒ partiũ situm, vsum, actionesq́ʒ, et agendi patiendiq́ʒ facultates, sedulò ac studiose inuestigant. Iam verò omnes illæ disciplinæ ac facultates, quæ nō in cognitionę, sed in actione positæ sunt, & præcepta de moribus, vitaq́ʒ formanda tradunt, ijsdem legibus, eodemq́; progreßu ac docendi ordinę vtuntur. Etenim vt quid virtus ipsa sit, & quotuplex ea sit, & quæ sint eius prima principia, & causæ ex quibus ipsa gignitur, intelligant, initio de subiecto cui inhæret, hoc est, anima humana disputationem instituunt: qua in suas partes viresq́ʒ & potestates deducta, facilè quæ morum & honestatis prima origo sit, intelligitur. Hanc inuestigãdi & inueniendi in disciplina morum, viam & methodũ, obseruauit Plato, & ante illum Socrates, & nōnulli alij, qui de his præcepta conscripserunt: quos sequutus Aristoteles, multò doctius, copiosius, & maiori artificio

de ijs-

de ijsdem elaboratum opus posteris reliquit. Vnde primo libro Ethic. capite vltimo, diligenter monet, vt qui scientiam de moribus tractarẽ, vel rempub. gubernare & capessere instituũt, prius de anima eiusq́; viribus, itemq́; de repub. & ciuitatis ciuiumq́; natura & partibus, vnde omnis officiorum & totius reipub. administratio oritur, studiose inquirant: idq́; aptißimè exemplo à medicorũ curandi ratione desumpto ostendit. Vt enim qui ex artẽ (inquit) curare, & corporibus mederi volunt, & singulorũ & totius corporis naturam cognoscerẽ debent, vt naturali eorum cõstitutionẽ perspecta scire poßint, quid ipsis contigerit, quantumq́; à naturali statu ac pristina habitudine exturbata fuerint, atq; ita accommodatis remedijs ad pristinũ statum ipsamq́; sanitatem reuocarẽ: ita eos qui in animæ virtutib. ac moderatione reipub. cognoscendis elaborant, animæ humanæ ciuilisq́; societatis constitutionem, de cuius cura ac conseruationẽ agunt, exactißimè discere atq; intelligere necesse est: atque eo quidem magis, quo ciuilis disciplina longè melior est medicina, eademq́; honoratior. Rursusq́; primo lib. Rhet. sic loquitur: Nec minus verò diligentiæ atq; operæ impendendum est, cùm de sanciendis legibus & constituendis agitur, quia salus reipub. in constituendis legibus posita est. Quamobrem primùm nosse oportebit, quot sint rei-

publicæ status & formæ, deinde quæ cuiq; conferãt atque cõducant: tum demum ea cognoscere, quibus quæq; deleri euertiq; possit, siue illa nimiũ prouehentia & prospera videãtur esse, siue aduersa planè atque contraria. Et paulò post: Vtile verò est ad componendas leges, non solùm perdiscere, quæ reipub. institutorumq; forma expedierit ætate maiorũ, & in nostra ciuitate, sed etiam nosse, quæ apud alias quoq; nationes, & quæ quibus locis congruere & conuenire videantur. Ex quibus colligi potest, ferendis sciscendisq; legibus vtilissimũ esse, peragrare orbem, et leges intueri omnes, quibus aliæ gentes & nationes vtuntur: in consilijs deliberationibúsue plurimũ valere notitiam rerum gestarum, quæ ab autoribus historiarum cõmendatæ sunt literis. Multoq; præclarius Politic. quarto, cap. primo, scribit, leges cum his considerandas esse, quæ optimæ sunt, & vnicuiq; gubernationi cõueniunt: esse enim leges omnes ad rempub. accommodandas, non autem rempub. ad leges. Esse etiam rempub. institutionem ciuitatis circa magistratus honoresq; publicos, quæ quomodo eos impartiri conueniat, & in quo potestas autoritasq; summa debeat consistere, & quis sit finis cuiusq; societatis, edoceat. Leges autem earum varias reperiri, per quas modus reipub. gubernandæ significatur, secundum quas debeãt illi, qui magistratus gerunt, impera

re, &

re, & transgressores earum prohibere. Ex quo liquidò constare, necessarium esse differentias & numerum tenere singularũ rerumpub. ijs qui leges condere volunt. Neq; enim fieri posse, vt eædem leges vtiles sint paucorũ potentiæ, ac popularibus omnibus: siquidem plures sint, & non vna popularis potestas, neq; vna duntaxat paucorũ potentia. Quo ergo docendi discendiq́; ordine hæ artes ac disciplinæ, eodem quoq; cæteræ omnes vtuntur, suiq́; generis subiecti, materiæ que propositæ, in qua versantur, naturam, ipsiusq́; partes ac differentias prius contemplantur, quàm ad sequentium theorematũ ac problematum demonstrationem se conuertant. Cuius rei causæ ac rationes necessariæ multæ aliæ afferri possunt: inter has tamen hæc est præcipua, quòd affectiones et passiones & συμπτώματα & actiones, simpliciterq́; quæcunque res consequuntur, ijsq́; hærent vel accidunt, è subiecto principium sui ortus trahunt, vel à partibus eiusdem subiecti, eorundemq́; mutuo respectu & habitudine oriuntur, aut saltem ad hæc omnia referuntur. Itaq; quicquid cognoscit mathematicus vel philosophus, quantitatis vel corporis cognoscendi causa facit: quicquid efficit medicus, corporis gratia efficit: quicquid agit moralis vel ciuilis philosophus, animi & ciuitatis causa agit: omnis denique actio & contemplatio, ad materiam subiectam, tan

quam ad ſcopum vnicũ dirigitur ac deriuatur. Ac proinde rectè monet Ariſtot. libro primo Analyt. poſt. in omni ſcientia ac diſciplina genus ſubiectum prius eſſe cognoſcendũ, non tantùm quòd in rerũ natura ſit, ſed etiã quid ſit, quemadmodũ & prima demonſtrationis & artis principia, antequam ad præcepta ſequentia progrediamur. Ex quibus omnibus id iam demonſtratũ eſſe arbitror, legislatori, ipſiusq; miniſtro Iureconſulto, ciuitatis ac reipub. cognitionem nõ tantùm eſſe vtilem, ſed etiam neceſſariam, ſine qua neq; bonas & ſalutares reipub. leges præſcribere, neq; latas rectè, & ad cõmodum ciuium interpretari poßit. Itaq; vtriq; tota huius ſocietatis fabrica & compoſitio perluſtranda eſt, ac partium numerus, & qualitas rerum atq; conditio: itemq; partium omnium habitudo et ἀναλογία, qua ad ſe inuicem referũtur, eſt penitus diſcutienda diſcendaq;. Et quoniam aliud quidem eſt in ciuitate vel in domo, & in corpore humano, quàm in ſtructura ædium (in qua etiam numerus partiũ, qualitas, quantitas, demum & compoſitio ſpectatur) vbi partes nõ ocioſæ ſunt, ſed actionem & vſum quendam obtinent, certè & de harum vſu actioneq;, quæ ex cuiuſq; partis natura, ingenio, inſtitutioneq; & aptitudinę cognoſcuntur, conſiderandum eſt. Ac poſtremò, qua rationę hæc omnia in ſuo vigore & ſtatu cõſeruari et custodiri

diri poßint, & siquidē aliqua à sua naturali integritate cōstitutioneq́; recessisset, quomodo ad pristinam constitutionem sit reuocanda ac reducenda. Atque hæc quidem contemplatio omnis ad politicum, ciuilemq́; administrationē spectat, cuius legislator eiusq́; interpres Iureconsultus, maxima & potißima pars sunt. Porrò autem omnis respub. & ciuitas, est quædam societas, eaq́; perfecta, atque ex varijs partibus ad felicitatem ciuiumq́; inter se retinendā tranquillitatem necessarijs composita: quarum varia compositione atq́; ἀναλογία seu comparatione ea continetur, corpusq́; humanum quadam similitudinē in partium numero, earumq́; constructione imitatur. Partes enim corporis humani duorū sunt generum: aliæ sunt primæ, quæ et simplices et homogeneæ, ceu similares appellantur, quòd partis & totius idem sit nomen: aliæ secundæ, quæ cōpositæ & heterogeneæ, cuius partes totius nomine non continentur, à philosophis & medicis dicūtur. Priores sunt, veluti caro, neruus, os, vena, arteria, & id genus reliqua: posteriores, vt caput, pes, brachium, lingua, digitus, &c. Vt enim carnis pars caro, nerui neruus, oßis os, venæ & arteriæ partes, venæ & arteriæ dicuntur, ita brachij vel digiti vel capitis & pedis partes, totiusq́; circunscriptione ac nomine minimè continentur. In repub. ergo & in omni bene composita ciuitatē simi-

lis ſanè partiũ ratio obſeruatur: etenim aliæ ſunt ſimplices & primæ, aliæ ex his compoſitæ. Compoſitæ, vt domus & vicinia, quæ partes diſsimilares & organicas ſimilitudine imitantur. Simplices, vt maritus, vxor, liberi & poſſeßio: quæ ſimiles & homogeneas, ex quibus priores illæ gignuntur. Neq; enim domum & viciniam, pro lignea aut lapidea illa ſtructura, vicorumq; amplitudinę & via ſolùm concipimus, ſed ijs quæ inhabitantium cõmoda & conuenienti multitudine, rebusq; vtilibus, & ad bene beateq; viuendum neceſſarijs ac opportunis ſunt inſtructa. Porrò autem has eſſe veras & proximas cuiuſque reipub. partes, non tantũ ipſa experientia, ſed & ratio cõmonſtrat: recteq; ab Ariſtotelę ciuitas libro primo Oeconom. deſcripta eſt, eſſe multitudo domorum, agro & pecunijs ſufficienter abundans ad bene beateq; viuendum. Quod ex eo manifeſtũ eſſe inquit, vt ſi compotes horum omniũ eſſe nequeant homines, ſtatim ſocietas contracta diſſoluatur. Diſciplina ergo quæ his partibus compoſitis præeſt, domusq; naturam, parteſq; ſingulas conſeruare cuſtodireq; nititur, œconomice, quòd rei familiaris curam gerat, appellatur. Ex quo id liquidò patet, rem familiarem priorem eſſe & tempore & generationę reipub. cùm & opus & pars ipſius ſit reipub. quemadmodum et diſciplina œconomices, diſciplina reipub.

Quòd

Quòd si igitur domus reipub. ac disciplina œconomica ciuilis ac reipub. scientiæ pars est: eiusdemq; artificis opus & officium est, totius & partium naturam facultatesq; contemplari: nulli sanè dubium est quin futuro legislatori aut politico, totius rei familiaris status, eiusq; disciplinæ ratio atq; cognitio habenda sit. Rursusq; quoniã, vt nuper dixi, res familiaris eiusq; scientia repub. prior est, certè necessariò eius quoque cognitio, reipub. & ciuitatis notitiã antecedere debet. Ex quo efficitur, vt & legislator, ipsiusq; interpres Iureconsultus, & simpliciter quicunq; ad reip. gubernacula vocatur, non nisi bene cognita re familiari eiusq; administrationẽ, rectè suo officio fungi poßit. Atq; præclarè dici solet, neminem rempub. rectè gubernare posse, qui rei familiari ac propriæ domui prius imperare non didicerit. Iam verò vt ex multitudine domuum & familiarum conficitur ciuitas, ita ex personis & rebus, domus. Et quemadmodum felix & beata tum efficitur ciuitas, cùm & singulæ domus & familiæ omnes, ita sunt constitutæ comparatæq;, vt ad totius felicitatem constituendam tranquillitatemq; conseruãdam sint idoneæ & opportunæ: ita & domus, quæ personis et rebus constat, non nisi adhibita cõuenienti cura ac disciplina, nunquam constarẽ, aut conseruari poterit. Perinde enim in his se res habet, ac in corpore humano, quod

tum demũ sanum appellare consueuimus, cùm singulæ eius partes sanæ sunt: ita & rempub, & domũ felicem & tranquillam non nisi eam dicerę licet, cuius etiã singulæ partes tales sunt. Finge enim aut domus & familias, aut personas in domo, ita esse dissolutas atq; perturbatas, vt neq; habeatur ratio imperandi nec parendi, nulla sit officiorũ & auxiliorum cõmunitas, nulla consuetudo vitæ, itaq; permixta et confusa omnia, vt neq; legibus, neque doctrinis, bonísue consuetudinibus locus sit vllus, sed aut vi, aut metu, aut dolo, malisue artibus gerãtur omnia: quis tandem reipub. aut domus, quam felicem appellare poßis, status futurus erit? Finge rursus omnes corporis humani partes, aut saltem aliquas ex his, mala intemperie, aut alio quouis morbo ita infectas, vt ad totius vsum parum vel nihil conferãt, an ne sanum id dicerę quisquã poterit? Sanè vt tum ægrotare aliquem dicimus, cùm vel minima eius pars vel particula morbosa est: sanũ autem nõ nisi tum, cùm rectè valent, suoq; officio fungũtur partes omnes: ita rempub. aut domũ eam infelicem & perturbatã appellamus, cuius aliqua pars vitiosa est: econtrà beatam et tranquillam, cuius membra inter se consentiunt & conspirant, eaq; ratione singula administrantur, & geruntur omnia, vt vnum quoddam omnes, & variæ illæ videantur esse partes, eadem velle & sentire

omnia.

omnia. Itaq; vt ad rei familiaris administrationem Oeconomice, ita ad cuiusq; priuatæ personæ institutionē doctrina de morib. quæ Ethice appellatur, adinuenta est: ea enim in omni actione, quid honestū, quid vtile, quid fugiendum, quídue expetendum & sequendum sit, demonstrat: eademq; & actionū humanarum prima principia inuestigat, & honestatis & vtilitatis causas & rationes inquirit, & inuentas iam examinat & perpendit, examinatas legislatori & ciuili philosopho subministrat. Vnde non sine ratione ab Aristotele potissima politicæ seu ciuilis facultatis pars, vel principium primò magnorū Moral. appellatur: cùm enim nullus in rebus ciuilibus quippiam laude dignū efficere queat, nisi prius qualitate aliqua præditus, honestiq; appetens sit: & honestum esse nihil aliud sit, quàm virtute præditum esse, eiusq; contemplatio ac moderatio ad ethicū pertineat: proculdubio ciuilem & politicum moralis philosophiæ præceptis, priusquàm ad domus vel reipub. administrationem studium suum conuertat, imbutum esse oportet, quippe cùm totius cognitio ex partium notitia habeatur. Quòd si ergo disciplina de moribus pars & principiū est ciuilis facultatis, tum quia bonos ciues reip. & ciuitati subministrat, tum quia veras honestatis & vtilitatis rationes perquirit, & actionum humanarum ac ciuilium principia & op

portunitates ostendit, omnium deniq; rerum occasiones & momenta perpendit, necessariò colligitur, legislatori & cuiq; politico viro, siue Iuris, iusti & iniusti notitiam (quod proprium est Iureconsulti) profiteatur: siue iustitiam, vt magistratus, administret & tueatur, huius moralis disciplinæ scientiam non solùm esse vtilem, sed etiam quàmaximè necessariã, atq; in hunc modum studio iuris & iustitiæ coniunctam, vt est oculus corpori, et mens animo. Nam vt corpus sine oculo videre, aut animus sine mente verum cernere nõ potest, ita nec legislator aut Iureconsultus sine notitia actionum & virtutum, causas et principia legum rectè & sine errore intueri potest. Atq; hoc est quod Vlpianus ait, Iustitiam nos colere, quia boni & æqui notitiam profitemur, æquũ ab iniquo separantes, licitũ ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum, verũetiam præmiorum quoq; exhortationẽ efficere cupientes: et veram (ni fallor) philosophiam, non simulatam affectantes. Veram eam appellat, quæ non in ociosa iusti & iniusti contemplatione, sed in actione, quæ ad vsus vtilitatesq; hominum dirigitur, quæq; ex veris iustitiæ fontibus & non simulatis oritur, consistit. Itaque initio statim primum iuris præceptum esse monet, vt honestè viuamus: honestè autem viuere nihil aliud est, quàm secundum virtutem viuerẽ: cuius honestatis

causas

causas rationesq́; aperit ethicus. Huic sententiæ in de legibus libro subscribit etiam M. T. Cicero, qui Iuris præcepta & initia ex intima philosophia repetita re petendaq́; esse censet; eosq́; qui aliter Iurisprudentiã docent, litigãdi potius quàm iustitiæ vias traderę arbitratur. Quæ sententia vera est, & veterum Iureconsultorum scriptis consentanea.

Posita ergo atque constituta hac resolutionę, duo iam manifesta sese pronunciata nobis offerunt: quorum primum ad id spectat, vt quem ordinem nostra Iurisprudentia inter cæteras eiusdẽ generis artes ac disciplinas sibi vendicet, intelligamus. Alterum eò pertinet, vt quæ artes atq; scientiæ futuro Iureconsulto discendæ sint, perspectum habeamus. Vtrunq; profectò vt plurimũ continet delectationis, ita veram huius artis & non simulatã scientiam affectanti, summopere cognitu est vtile ac necessariũ. Quod igitur ad primũ attinet, id sine controuersia statuendum est, Iuris ciuilis disciplinæ cognitionem sine politices, œconomices & ethices notitia haberi minimè posse, tum quia hæ disciplinæ sunt partes & principia Iurisprudentiæ, tum quia suppeditãt rationes & causas actionum, & honestatis fontes aperiunt. Res autẽ tum cognoscere (vt Aristot. primo Phys. ait) arbitramur, cùm earum causas, principia & elementa cognoscimus. Quòd si sunt principia, vt ex resolu

tione demonstratum est, necesse profectò est eadem esse priora: priora (inquã) ordinẽ doctrinæ, hoc est, prius necesse est ea doceri ac cognosci, ipsa Iurisprudentia. Ita enim natura comparatum esse videmus, vt in omnibus tum rebus, tum scientijs & artibus, quæ vltima sunt in cognitionẽ & resolutione, priora sint in actionẽ & compositione, & econtrà: resolutio enim & compositio (vt in posteriori huius operis parte dicã) contrario itinere progrediũtur: prior, à fine ad principia prima excurrit inueniendo: posterior ab ijsdem inuentis, docendo & componendo ad extremum et vltimum finem progreditur: quod in rebus artificiosis licet satis euidenter intueri: vt in arte ædificandi: artifex enim qui domum ædificare instituit, prius naturam eius contemplatur, quàm ad operationem se accingat. Itaq; initio, contemplando mente atq; animo, scopum seu finem, cuius rei gratia ædificaturus est, concipit, conceptumq; in prima sua principia dissoluit. Aedificaturũ enim se idcirco arbitratur, vt ab aëris intemperiẽ, ventorum & imbrium, caloris & frigoris, cæterarũq; rerum extrinsecus adiacentium incõmodis, se suaq; omnia defendere ac tueri poßit. Proposito hoc scopo, inquirit eius principia & causas, quibus eundem actionẽ postea adipiscatur: ac primùm quidem, nullam rem id commodius præstare posse, quàm tegumentũ, ratione &

expe-

experientia cognoscit. Sed quia tecti seu tegumenti moles per se consistere, eoq; cui firmè ac solidè innitatur, carere non potest, idcirco fulcimentis & parietibus ad sustinendū opus esse intelligit. Iam verò quia & parietes tum per se, vt iniurias omnes arcere valeant, multum firmamenti & viriū habere debent, quòd nunquam vlla vi labefactari, locóue vnquam dimoueri possint, tum præter hæc grauissimā ac ponderosam tecti molem cōstanter sustinere, idcirco fundamentum & basim, quæ totam hanc machinam ac domū sua firmitudine sustineat, necessariò requiri animaduertit. Sed vt eadem basis apta sit & commoda ad sustinendam molem, diutissimeq; conseruetur, & immobilis permaneat, fossionē terræ, in qua quasi radices more plantarum agat, cuiq; firmissimè hæreat, vtilem ac necessariam esse, hoc quasi syllogismo ac ratiocinatione colligit. Fossio ergo est ultimus finis & extremus huius contemplationis & resolutionis, quæ postmodū in actione, hoc est, in ipsa ædificatione fit primum principiū: quemadmodum initium contemplationis fit vltimus & extremus finis in actione & compositione, in quem dirigitur, & in quo quiescit artificis operatio. Etenim initio ædificator molitur telluris fossionē, deinde iacit fundamenta futuri operis, mox struit parietes, tandem parietibus imponit tectū, quo imposito, assecutus est suum

finem, nimirum custodiam ab inclementia & iniuria aëris & cœli. Eadem inueniendi & docendi ratio in cæteris artib. ac disciplinis reperitur: quinimò quicquid inuenitur vel docetur artificiose, hoc est, non temerè, sed cum ratione, id omne hac via inuestigari necesse est. Est enim hic modus inueniendi perpetuus ac necessarius, qui nunquam fallit, sed semper dirigitur ad veritatem, quem ipsa adeò natura in componendo imitatur: siquidem natura, vt Aristoteli placet, propriè non dicitur inuenire: inuentio nanque est quædam ratiocinatio, & ratiocinatio cognitio: at natura non cognoscit, etiamsi propter finem aliquem certum ac determinatum agat semper. Hunc quoque inueniendi in disciplinis & tradendi modum, tota seruauit & imitata est antiquitas. Et Aristot. vniuersæ philosophiæ, tam actiuæ quàm contemplatiuæ præcepta, eodem adinuenit, & adinuenta tradidit.

Legem ergo & actiones ciuiles, in quibus legislator & Iureconsultus versantur, resoluendo & ratiocinando, tandem ad eam facultatem deuenimus, quæ mores eorumque principia contemplatur, tanquam ad extremum terminum: à quo veluti principio, in docendo & discendo componendoque, rursus auspicamur, & ab ea ad œconomicen, ab hac ad politicen, denique ab his omnibus ad Iuris ciuilis cognitionem progredimur: quæ disciplinæ finis est, & quasi terminus supe-

ſuperiorum artium ac diſciplinarum, ad quem referuntur. Sit ergo hoc firmum & perpetuum pronunciatum, Iuris ciuilis ſtudium vltimum inter has artes ſibi vendicare locũ, tumq́ rectè & magno cum fructu doceri ac tradi, ſi priores illæ ſcientiæ, tanquã prima eius principia & elementa, præcedant. Quo in loco ſeſe multorum hoc noſtro tempore Iureconſultorũ inſignis error & imperitia ſatis detexit. Plerique enim Iuriſprudentiæ ſtudiũ ita à philoſophiæ cognitione diſtrahunt, vt nihil cõmune ijs aut ſimile eſſe opinentur, planè exiſtimantes rem eſſe ocioſam & inutilem, non tantùm eius diſciplinæ, ſed & aliarum artium præcepta, quorũ maximus eſt vſus, memoria comprehenſa habere. Ad cõfirmationem ſui erroris adducunt breuitatem huius noſtræ vitæ, cauſantur magnitudinem, longitudinem & difficultatem diſciplinæ, queruntur numerum Interpretũ & cõmentariorum: & quod magis ridiculum eſt, exiſtimant vna eademq́ opera Ius ciuile & cæteras diſciplinas, ex vno eodemq́ ſcripto addiſci poſſe, ita quidem, vt qui leges recitare poßit, illicò bonus Grammaticus, inſignis poëta, eloquentißimus orator, acutißimus dialecticus, & vt quibuſdam etiam videtur, geometra & naturalis philoſophus ex eadẽ ſchola prodeat: ſatius itaq́ eſſe, vt quod per pauciora remedia fieri poteſt, per plura & longiora ne efficia-

tur. Alij vero etsi philosophiæ cæterarumq́ artium præstantißimarũ vsum non ignorãt, moderatius ta men id fieri volunt, tãtumq́ studiũ, tamq́ multam operam ponendã in eo non arbitrãtur, satis nos offi cio nostro fecisse arbitrãtes, si primoribus, vt aiũt, la bris hæc attigerimus, et more apũ optimos quosq́ flo res ex infinitate illa decerpserimus. Sed philosophiæ quidẽ vituperatoribus, quorũ longè maior est error, facilè responderi, alijs non æquè potest. Quid enim ineptius excogitari aut dici à quoquam potest, quàm mole, magnitudine, numero, confusione librorũ, & Interpretũ, artis & scientiæ æstimare velle difficul tatem, breuitatem atq; longitudinem? Neq; enim ex artifice ars, sed ex arte artifex iudicatur: cæteroquin fieri posset, vt artes etiam nobilißimæ præstantißi mæq́, vitio artificũ essent ignobiles ac turpißimæ. Multi profectò qui artem medendi profitentur, in terdum homines sanare volentes, eos imperitia sua potionibus occîdunt: an propterea ars medica, suis laudibus fraudanda est? Multi naufragium negligen tia & nauigãdi inscitia cõmittunt, an idcirco ars ea nauigãdi uituperabitur? Sanè pleriq; Iuris ciuilis præ cepta nullo ordine, nullaq́ via & methodo conscri bi ac doceri posse arbitrantur, atq; ita etiam docent, an propterea id artis uitio, quæ ex se pulcherrima est, tribuendum existimabimus? Tenenda ergo est diffe rentia

rentia & discrimen inter hæc, quantumq́; ars & artifex inter se cōmunicent vel dissentiant, diligenter perspiciendum. Disciplinæ enim ex se, & suapte natura non sunt longæ, etsi altera longior & difficilior est altera: quia cognitione theorematū & præceptorum constant, quæ non sunt infinita, sed numero aliquo comprehensa, & certa atq; definita: quorum cognitioni & comprehensioni satis vita sufficit, eiusq́; respectu breuis non est. At verò vsus & exercitatio artis vt difficillima est, ita quoque est longissima, atq; vnius hominis vitæ longitudine, propter infinitas circūstantiarum varietates perplexitatesq́;, commodè haberi non potest. Iam verò quòd ex vno eodemq́; Iure ciuili, reliquarū artiū præcepta disci posse opinātur, quid obsecro aliud est, quàm cœlū terræ miscere, artiū ac disciplinarū fines, scopos, præcepta, temerè & sine ratione cōfundere, atq; ex multis diuersis & disparatis scientijs, quinimò ex infinitis rebus planeq́; cōtrarijs, vnū quid facere? Quis enim ignorat, aliud esse latinè scribere et loqui, scientificè et probabiliter in vtrāq; partē de quacunq; proposita quæstione disserere posse: & aliud, iusti et iniusti notitiā, numerorum vel humani corporis cognitionem habere? Scientiæ nanq; & artes omnes ita inter se differunt, quemadmodū & res & materiæ quas contemplantur, & fines, ad quos diriguntur: fieriq́; non po-

test, vt vna eademq; ars diuersas rerum naturas cognoscat. Multæ etiam sunt, quæ etsi res non contemplentur, nec quippiam agant, vsum tamen ad hæc præstant, suntq; veluti instrumenta & organa, sine quibus neq; cognoscere rerũ naturas, neq; quippiam cõmodè efficere possumus: veluti sunt omnes illæ artes, quæ sermonis orationisq; ac docendi modum tractant. Sedenim neq; illud quidem semper verè dicitur, frustra fieri per plura, quod per pauciora fieri potest: multa enim sunt, quæ cõmodius & citius longiori via assequimur, quàm breuiori: quæ si difficilis & obscura est, inepta est ad discendũ & agendum. Titius enim (exempli gratia) si in forum ire decreuerit, vel regia via, quæ longior fortasse aliquot passib. est, sed plana alioquin & munda: vel compendio aliquo aspero & lutoso, eò proficisci potest: certè (nisi mentis compos non sit) longiorem & cõmodiorem eliget, citiusq; quàm si breuiorem & intricatam ingressus fuisset, ad destinatum locum perueniet. Similis est ratio in scientijs & disciplinis, quæ sibi ita sunt affines & connexæ, vt multæ sine aliarum cognitione, aut omnino, aut certè cõmodè haberi nõ possint. Est enim quædã ijs similitudo & cognatio, cum corpore humano ipsiusq; partibus, qua mirũ quendam in modum inter se conspirant & consentiunt, alteraq; alteri vsum mutuũq; auxilium præstat, vt separatæ

ratæ ac disiunctæ, officio omni atq; actione sua priuentur. Deniq; memini non paucos à præceptis philosophiæ abhorruisse, quòd à plerisq; incultè satis & barbarè ea conscripta esse conspicerent: quibus ego quoq; assentior, dũmodo grauiores scriptores, de iisdem rectè & copiose disputantes, non contemnant. Qui verò nostrum philosophiæ studiũ non in totum reprehendunt, si remissius & moderatius agatur, in eo rectè mihi facere videtur, quòd (vt ego arbitror) hominum animos à rebus non vtilibus, sed spinosis & non multum vtilibus, quæ in quibusdam philosophorum scriptis continentur, auocantes, eos ad honestiora & ad vitæ vsum cõferentia præcepta hortantur. Est enim modus seruandus in perdiscendis disciplinis, statuendusq; scopus aliquis, ad quem rationes omnium nostrorũ studiorum dirigantur, cùm fieri nequeat vt in omnib. ex æquo excellas, satisq; sit eatenus vnamquanq; disciplinam attigisse didicisseq;, quatenus rei necessitas postulare videatur. Est etiã discrimen aliquod seruandũ in omnibus disciplinis: quædam enim plus delectationis, quædam plus necessitatis in se habent. Quæ necessariæ sunt et vtiles, non tantùm degustandæ, sed & penitus perdiscendæ sunt: quales sunt eæ, quæ omnibus cõmunes sunt, suumq; vsum omnibus præstant, vt ars disserendi, et scribendi, & loquendi, quæ sunt veluti instrumen-

ta et manus, quibus scientiæ et disciplinæ omnes tanquam rebus necessarijs vtuntur. Itemq; illæ quæ viciniores sunt, & similes & cognatæ, & vt philosophi aiunt, subalternatæ: veluti, medico magis in naturali philosophiæ parte laborandũ est, quàm in morali: & Iureconsulto in hac magis quàm naturali: quia vt medicus principia sui subiecti, itẽq; rationes & causas à naturali mutuatur, ita Iureconsultus à morali & ciuili. Eadẽq; similitudo & cognatio in cæteris disciplinis inuenitur. Artes verò ac disciplinæ quæ non ita necessariæ sunt, sed plus delectationis & exercitij cõtinent, etsi planè omitti non debeant, leuius tamen attingendæ sunt, cùm fieri nequeat, vt omnes eodem fructu, pariq; vtilitate addisci possint. Nam & in his id vitandum est, ne nimis magnũ studium multamq; operam in res obscuras atq; difficiles conferamus, easdemq; non necessarias: vt in astrologia, vel in geometria aliqui faciunt: multi in dialecticis, plures in cognitionę vtriusq; sermonis, latini et græci. Quæ omnes artes quanquã laudabiles sunt, & nonnullæ earum summopere necessariæ, earũ tamen studio à proposito abduci, contra omnem rationem est. Sed philosophiæ quidem vituperatoribus, ijsq; qui difficilem quandam temperantiã postulant in rebus præclaris & honestis atq; etiam necessarijs, quæ admissæ coërceri neq; possunt, neq; debent reprimi,

mi, satis ijs libris respondebimus, quos de sectis Iureconsultorum inscribemus. Ex his iam satis patêre arbitror, quis & qualis sit ordo lectionis huius nostræ Iurisprudentiæ: adhæc, quæ disciplinæ ipsam necessariò doctrinæ ordine antecedant: deniq; quæ ad ipsius cognitionẽ vtiliter adhiberi poßint ac debeãt, si modò perfecta & nõ fucata eius notitia desideretur.

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER QVARTVS.

C*OGNITO doctrinæ & lectionis ordinę, ratio deinceps postulare videtur, vt proximius ad Iurisprudentiæ naturam explicandam accedamus. Natura autem artium ac disciplinarum omniũ, duabus potißimùm solet æstimari rebus: genere subiecto, seu materia in qua ars & scientia versatur, cuiusq; affectiones & paßiones quælibet earum contemplatur aut efficit: & proprio fine, ad quem omnis effectio vel contemplatio dirigitur, omniaq; quæ in arte aut disciplina docentur præcepta, referuntur. De generę igitur subiecto & materia Iurisprudentiæ dicendum est: quam facilè adinueniemus, si ea quæ superiori loco à nobis posita constitutaq; sunt, diligenter, vt par est, perpenderimus. Atq; id quidem initio citra omnem controuersiam,*

quod & sæpe antea dixi, statuendū est, vnū idemq́ esse & legislatoris et Iureconsulti genus subiectum: quippe cùm alter ab altero, nō scopo, qui vtriq; unus est, sed rationē & χρείᾳ tantùm differat: ac legislatoris proprium officium sit, proposita sibi iustitia, leges in repub. salutares & vtiles cōdere: Iureconsulti verò, easdem cōmodè & ad subditorum ac ciuium tranquillitatē atq; concordiam tuendā, accōmodatè interpretari. Qui igitur ea de quibus leges feruntur & statuūtur, cognouerit, is etiam qua in re vtriusq; actio versetur, quæq; vtriusq; materia subiecta sit, intelliget: quippe cùm vterque habitus sit quidam, vel leges rectè condendi, vel easdem bene interpretandi, & ad ciuium vsum vtilitatemq́ acōmodandi. Itaque lex, vt nuper dixi, est vinculum humanæ ac ciuilis societatis, eademq́ conseruatrix iustitiæ, cæterarumq́ virtutum omnium, quæ in hominum vitæq; cōsuetudinē reperiuntur. Conseruatrix inquam iustitiæ est, quia societati ciuili, tanquam supremus aliquis rex & magistratus imperat, præscribens iusta, recta et vtilia, ijs qui parent & imperāt, vetāsq; ac prohibens horum contraria: bonos & modestos ciues præmijs ad virtutē alliciens, malos inflicta pœna à vitijs deterrens atq; coërcens: vt non immeritò à Cicerone dictū sit, magistratū esse legem loquentē, & legem esse magistratum mutum & tacentem.

Quum

Quum ergo legis officium sit, imperare honesta, iusta & vtilia, ac prohibere horum contraria, efficitur vt de actionibus lex quidpiã statuat, eásue contempletur. Iustum enim & iniustum, honestum & inhonestum, bonum ac malum, in actionibus cernitur: quippe cùm boni & mali, iusti & iniusti homines, ob actiones bonas vel malas, iustas vel iniustas, ita denominentur, simpliciterq; virtus et vitium in actionẽ quæ vel laude vel vituperio digna est, consistit. Lex ergo de actionibus fertur, in quibus quid honestum & inhonestũ, quid iustũ et iniustum sit, aperit. Quapropter & legislatorem & Iureconsultum, qui leges condere aut interpretari nituntur, easdem contemplari necesse est. Sed enim actiones sunt multiplices & variæ, ideoq; diuidendæ ac distinguendæ. Quædã nanq; sunt rerum animatarũ, quædam inanimatarũ. Actiones rerũ inanimatarũ sunt, quæ tum à simplicium, tum compositarũ rerũ facultatib. natura insitis, oriuntur: veluti, ignis dicitur calefacere, aqua & aër humectare, terra frigefacere, Magnes lapis ferrũ attrahere: quæ actiones omnes, huiusq; generis reliquæ propè infinitæ, pendent à suis principijs naturalibus, quas δυνάμεις appellant, quia à natura rebus ingenerãtur. Hæ ergo actiones, quia bonæ aut malæ propriè, iustæ vel iniustæ, neq; sunt, nec dicuntur, ad nullam legem referuntur, neque de ijs quid-

piam statui à legislatore potest, quippe cùm neq; societatem hominũ tueri, neq; etiam lædere possint.

Actiones verò rerum animatarũ, aut sunt propriæ earum quæ ratione vtuntur, aut cõmunes cum ijs quæ rationẽ carent. Rationẽ vtentium, vt hominum: carentium, vt brutorũ: facultas enim & actio generandi, nutriendi, augendi, concoquendi, attrahendi, expellendiq;, itemq; appetendi, respuendi, simpliciterq; omnes eæ quas tum vitales, tum naturales appellant, cõmunes sunt hominibus cum brutis animantibus, quæ ratione minimè reguntur, sed natura: ideoq; in potestate & arbitrio nostro positæ non sunt. Vnde fit, vt neq; legẽ prohiberi, neq; iuberi, nemoq; bonus vel malus, iustus aut iniustus, ab his appellari possit. Quare superest, vt solæ illæ actiones quæ in potestate nostra sunt, & hominum propriæ, à legislatore considerentur: quippe cùm ex his iusti & iniusti, boni & mali homines dicantur, laudenturq; ac vituperentur, ijsq; societas ciuilis custodiri, eadémue lædi dissipariq; valeat. Sedenim hæ actiones, quæ in nobis positæ sunt, & à nobis proficiscuntur, aut spontè, aut inuitè fiunt. Spontè fieri dicuntur, quæ sine vi, iudicio & studio ac voluntate nostra geruntur. Inuitè fiunt, quæ contra voluntatem per vim & imperium, vel ignorantiam & inscitiam perpetrantur. Ignorantia duplex est, altera iuris, altera facti. Hæ

cti. Hæ actiones omnes, bono et malo, honesto ac inhonesto dijudicantur, hominesq; ab ijsdem, boni vel mali, laude vel vituperio digni censentur, ideoq; his vel præmia uel supplicia à legislatoribus eorumq; legibus proponuntur. Vt enim rectè factis beneficia et fructus, ita peccatis pœnæ & reprehensiones debentur. Vnde rectè Demosthenes legē sic definiuit: Lex est, cui omnes obtemperare cōuenit, cùm ob alia multa, tum verò maximè, eò quòd lex omnis inuentum ac munus deorum est, consultum prudentium hominum, coërcitio eorum quæ vel spontè vel ignorantia delinquūtur, cōmunis sponsio ciuitatis, ad cuius præscriptum omnes qui in ea repub. sunt, vitam instituere par est. Porrò autem eædem actiones, quæ à nobis sponte aut ignorantia geruntur, duobus modis concipi possunt, aut simpliciter, absolutè & per se, hoc est, intra hominem, quatenus mente cogitantur tantùm, neq; in opus prorumpunt: aut verò relatione quadam ad alterum, quatenus exeunt in opus, ciuilemq; societatem & cōmunitatem reipub. lædereq; possunt, eandémue custodire. Plurimum enim inter has interesse credendum est: quippe cùm multi animo & cogitationeq; intemperātes, adulteri, auari, audacesq; & iniusti reperiantur, metu tamen pœnarū, quæ à legibus proponuntur, perterrefacti, animo cogitata proferre, factoq; vitium mentis deducere non

audent: ac proinde de his actionibus, etsi laude vel vituperio dignæ sint, leges non sunt solicitæ, propterea quòd ciuilem societatẽ neq; lædunt, neq; conseruant: ipsáq; lex nihil aliud sit, quàm vinculũ huius societatis & reipub. quæ partes omnes cõcordi amicitia inter se cõnectit. Quapropter rectè Vlpianus noster dixit, cogitationis pœnam neminem pati, si, vt rectè Interpretes annotant, cogitationẽ nihil sequatur, quod alteri noceat. Quanquam verò legibus hæ actiones non contineantur, tamen ad alterius artificis præceptiones referũtur, qui quid in his laude vel vituperio dignũ sit, ostendit: pertinetq; propriè hæc consideratio ad eam philosophiæ partem quæ de moribus tractat, vitæq; priuatæ moderationem institutionemq; profitetur: ea enim non crassa tantũ, quæq; oculis manibusq; percipiuntur hominis vitia, præceptis institutisq; vitæ corrigit, sed multò magis latentia animi mentisq; peccata expellit, & affectibus cæterisq; tum animi tum corporis perturbationib. commodè mederi docet. Perinde igitur se habet politicus & legislator ad philosophũ moralem, quemadmodum medicus ad physiologum: & vicissim, vt physiologus ad moralem, ita medicus ad legislatorẽ vel Iureconsultũ. Medicus enim hominem sanum cum esse pronunciat, qui omnes actiones corporis & animi, vitales inquã, naturales animalesq; ita affectas

atq;

atque dispositas habet, ut nullum in his manifestum incommodum sensu percipi, læsióue aliqua insignis, membri functionem impediens, oculis cerni possit. Aegrotum verò illum, in quo perspicuũ euidensq́; apparet actionis impedimentum, ita quidem, ut leuis aliqua humorum, aliarúmue rerum mutatio sensum effugiens, ad sanitatem constituendã, morbúmue inducendũ sufficere non videatur. At Physiologus qui occultas rerum naturas rimatur, non ad inferiores corporis sensus se demittit, sed ratione duce causas rerum omniũ quæ gignuntur, exactiori modo perquirit, & sanitatẽ vel morbum non ex actione corporis, sed potius eius constitutione metitur: sanumq́; hominẽ eum demum esse opinatur, qui exactißimam in partibus simplicioribus. maximeq́; constantem obtinet temperiem: in compositis autem, quas organicas appellant, perfectam, nulloq́; vitio, quod sensu, sed ne ratione quidem cerni poßit, deprauatam compositionẽ. Par est ratio legislatoris & moralis philosophi: etenim legislator ipsiusq́; interpres Iureconsultus, non de omnibus actionibus loquuntur, sed de ijs tantùm quæ manifestè societatẽ reipub. corrumpunt aut custodiunt: neq; eos iustos iniustósue, temperantes aut intemperantes esse pronunciãt, qui solo consilio animiq́; propositione ea cogitant, nisi quoq; aliquis actus accesserit, qui reipub. aut pro-

desse aut obesse poßit. Vnde Tryphonius fugitiuũ esse ait, non eum qui solùm fugiendi consiliũ à domino suſceperit, licet id se facturum iactauerit, sed qui in ipso facto fugæ, vitiũ mentis deduxerit. Nam & furem, & adulterum, & aleatorem, quanquã alia significatione ex animi propositione cuiusq; sola dicere quis posset, etiam hunc qui nunquam inuito domino rem alienam subtraxerit, qui nunquã alienam matremfamiliàs corruperit, si modò eius mentis sit, vt occasione data, id cõmissurus sit, tamen oportere hæc crimina, assumpto actu intelligi: & ideo fugitiuũ quoque & erronem, non secundũ propositionem solam, sed cum aliquo actu sumi oportere. Dißimilis est ratio in philosopho morali, qui & ipse rationem modumq; rectè viuendi et agendi præscribit, sed tamen non eodem modo quo legislator: quandoquidem vt hic exteriores actiones moderatur, ita ille interiores quæ in animo sunt perturbationes et affectus sensum minimè incurrentes compescit, ac ratione dijudicat. Actiones ergo ad quas legislatorũ & Iureconsultorum placita dirigũtur, ciuiles nuncupabimus, quòd in ciuitate & repub. & omnino in quadam societate, hominumq; communitate spectentur. Porrò autem actiones ciuiles, de quibus nunc loquimur, duorum sunt generum. Vnum genus est earum quæ sæpe & plurimũ fieri solent, & quotidie accidunt: alterum,

rum, earum quæ nunquã aut rarò. Quæ sæpe fiunt, certò definiri ac præceptis cõprehendi possunt: quæ raro eueniunt, quum indefinitæ & indeterminatæ sint, in nullam artificis disciplinam, vllámue doctrinam præceptionemq́ incidunt: quapropter neq; de his legislatores leges condendas existimarunt. Rectè igitur Theophrastus inquit, Iura cõstitui oportere in ijs quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *non in his quæ* ἐκ παραλόγου *(sic enim, & mea quidem sententia, rectius Pandectæ Florentinæ habent) accidũt. Et Paulus,* τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. *Et Celsus, ex ijs quæ fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non constitui. Nam ad ea potius debere aptari ius, quæ & frequenter & facilè, quàm ad ea quæ perrarò eueniunt. Quod ita accipiendum est: de aqua pluuia ius constitui oportet, quæ vt plurimũ cadere solet, non etiam de lapidibus pluuijs, qui nunquam aut semel tantùm ceciderunt. quòd si sæpius præter hominum opinionem lapidibus vel auro, aliáue re inexpectata pluere inciperet, leges nouas de his ferri oporteret. Itaq; quia contractus, maleficia, successiones, bella, itẽq; huius generis propè infinita, frequenter ac sæpenumero accidũt, ideo de his leges statui oportuit. Ideoq; ridiculæ sunt glossarũ et doctorũ quæstiones ac solutiones hoc loco propositæ, de homine, qui cùm testatus decedit, & ab inferis rursus reuerti*

tur, aut decapitatus uitæ restituitur (quod etsi semel tantùm euenit, amplius tamen nō poteſt) an ad poſſeſsionem ſuorum bonorum admittatur: aliæq́; non paucæ, quas breuitatis cauſa ut inutiles & ocioſas omitto. Huc pertinet Solonis illud dictum, cuius meminit Cicero in oratione pro Roſ. Amerino. Is enim cùm interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet: reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quod antea cōmiſſum non erat, ne non tam prohibere, quàm admonere uideretur. Quòd ſi quid eiuſmodi, quod antea nunquã euenerit, accidat, profectò noua Principis conſtitutione decretóue, aut interpretatione legũ, quæ ad ſimiles caſus latæ ſunt, opus eſt, quemadmodum rectè Imperator Iuſtinianus in præfatione Pandect. conſtitut. iij. ſic loquitur: Sed quia diuinæ res quidē perfectiſsimæ ſunt, humani verò iuris conditio in infinitum decurrit, & nihil eſt in eo quod ſtare poſsit perpetuò (multas etenim formas ædere natura nouas deproperat) non deſperamus, quædam poſtea emergere negocia, quæ adhuc legum laqueis non ſunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, Auguſtum imploretur remediũ: quia ideo Imperialem fortunã rebus humanis Deus præpoſuit, ut poſsit omnia, quæ nouiter cōtingunt, & emendare & componere, & modis

modis ac regulis competentibus tradere: & hoc non primùm à nobis dictum est, sed ab antiqua descendit prosapia, cùm & ipse Iulianus legum & edicti perpetui subtilissimus cōditor, suis libris hoc retulerit, ut si quid imperfectū inueniatur, ab Imperiali sanctione hoc repleatur. Et hoc non ipse solus, sed & diuus Hadrianus in compositione edicti et senatusconsulto, quod eam sequutū est, hoc apertissimè definiuit, ut si quid in edicto positum non inueniatur, hoc ad eius regulas, eiusq́ coniecturas & imitationes possit noua instruere autoritas. Hæc Iustinianus. Id tamen animaduersioneq́ dignū esse arbitror, quod glossa ac Dd. non perpendunt, uoces has, Sæpe et raro, bifariam posse dici: aut simpliciter & absolutè, sineq́ collatione ac similitudine: aut respectiuè et relatiuè, ad alterū eiusdem, uel diuersi generis. Absolutè euenire dicimus, quod indies accidere solet: ut, aquam pluuiam cadere, hominem mori, & quæ his sunt affinia, quorum usus est quotidianus. Absolutè rarò fieri dicitur, quod semel aut bis tantùm euenit, aut euenire potest: ut, fœminā uno partu septem filios ædere: hominem mortuum resuscitari, quod in Lazaro factum legimus: uel lapides pluere, cæteraq́ huius generis. Hæc ergo omnia dicuntur absolutè raro uel sæpe fieri, quia ad nullam rem certam definitamq́ referuntur. Alia ratione dicitur quid sæpe fieri respecti-

uè: veluti cùm duas res conferimus, quarum vtraq; euenire quãdoq; solet, sed altera magis quàm altera, vt vox Sæpe, cõparationem significet: veluti cùm dicimus, sæpe homines intestatos mori, comparatione facta, ad eos qui testatò moriuntur. Plures enim ab intestato, quam testatò occidunt. Huc pertinet illud, cùm quæritur à Paulo Iureconsulto, ex quota parte interim hæres existat, qui posthumum cohæredem habere potest, cùm fieri poßit, factumq; quandoque sit, vt quatuor pariter puellæ à matrefamiliàs natæ sint: & nõ leuibus autoribus traditum sit, quinquies quaternas enixam Peloponesiam, & multas Aegypti vno vtero septenas: sed et tergeminos senatores cunctos Romam habuisse Horatios: Læliumq; vidisse in Palatio liberã mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset vt Hadriano ostenderetur, cum quinq; liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem. Quid ergo? prudẽtißimè inquit, Iuris autores medietatem quandã secuti sunt, vt quod fieri non rarò admodum posset, intuerentur: id est, quia fieri poterat vt tergemini nascerentur, quartam partem filio superstiti aßignauerunt. Quem locum vt non intelligunt interpretes, ita hac nostra distinctione facillimè explicatur. Tergeminos nanq; nasci, etsi per se et suapte natura rarò accidere solet, sæpe tamen euenire di-

re dicitur, si cum eo conferas, quòd septem aut quinque vnico partu nascantur: itaq; de his quæ vel suapte natura, vel saltem in suo genere, quoad eius fieri potest, & relatiuè sæpe euenire solent, leges ferendas Iuris autores existimarunt. Ex his iam (vt breuiter omnia ea quæ fusè disputata à nobis sunt, colligamus) manifestum esse arbitror, proprium legis, ipsarumq; autoris ac interpretis genus subiectũ, & materiam in qua versantur, nihil aliud esse, quàm actiones humanas, quæ in nostra potestate vt fiant, aut non fiant, positæ sunt, quæq; vi vel ignorantia contrahuntur, & vt plurimum euenire solent, & ciuiles & legitimæ sunt: vel si magis succinctè rem nominare libet, actiones ciuiles Iureconsulti & legislatoris materiam esse statuendum est. Hæc enim differentia addita actioni, complectitur sua vi ac potestate priores omnes, ipsamq; materiam legis distinguit à cæteris artificibus omnibus, qui actiones rerum contemplantur. Porrò autẽ ne quis hìc decipiatur, actiones ciuiles non eas intelligi volo, quæ in iudicio exerceri solent, quas Imperator nihil aliud esse inquit, quàm iura persequendi in iudicio, ea quæ sibi debentur: sed simpliciter omnes actus, & negocia humana ac ciuilia, siue in iure, siue in facto consistant, quæ in hominum inter se tuenda societate spectantur: vt sunt cõtractus, tutela, possessio, dominiũ, exhæreda-

tio, vsucapio, præscriptio, & in vniuersum omnes causæ, de quibus legibus quidpiã cautum esse intelligitur. Etenim actionis nomen, vt glossa & Interpretes in Instit. tit. de actionib. annotãt, ad multas significationes extenditur. Quandoq; enim pro accusatione criminali ponitur: quandoq; pro iure agendi & persequendi in iudicio: quãdoq; quod δίκην appellant, pro administratione: itemq; pro causa, vt sensit Io. Platea, sed non rectè, vt ibi perfusè notatur: & pro administratione seu πρᾶξις, vt Cicero: quos ego habui omnium mearum actionũ monitores. Itemq; pro pronunciatione, quam ὑπόκρισιν vocant. Cic. in Orat. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, cùm constat è voce atq; motu. Itemq; pro oratione scripta, vel historia, vt Ciceronis in Verrẽ, Et Quintil. lib. vij. Cuius actionem equidem solam in hoc tempus emiserã. Quandoq; etiam dicitur defensio, & δικαιολογία, siue oratio pro causæ defensione, aut alicuius rei de qua agitur. Cic. Q. Valerio: Actionem meam C. Cæsar primo suo consulatu lege in Agraria comprobauit. Sumitur quoq; interdum actio, pro beneficij accepti, verborum grata redditione: vt Cicero pro Planco: Quanquam gratiarum actionem à te non desiderabam. Et generaliter tandem pro omni operatione, atq; actu, siue animi sit, siue corporis: vt Cic. libro primò Offic. Virtutis enim

laus

laus omnis in actione consistit. Qua ratione à nobis hoc loco etiam concipitur, et à legibus, de his, earūq́ iuribus præcipitur. Iura enim aut ab actionibus gignuntur, aut ad easdem vt fines referuntur. Actio ergo legitima & ciuilis esto verum Iurisprudentiæ ac legislatoris genus subiectū ac materia, quam contemplantur. Verū vt res euidens alioquin per se, manifestior fiat, conabor hanc meam de Iurisprudentiæ subiecto sententiā, non tantū rationibus philosophicis, sed etiā Iureconsultorū autoritatibus comprobare, ne illud mihi fortasse à quoquam obijci possit, turpe esse sine lege loqui, quod pleriq; legulei faciunt, qui neq; momenta rationū, neq; quibus quoq; loco vtendum, satis intelligunt. Vt enim semper cùm necesse est, reiq́; natura, de qua disputatur, postulat, sine lege quidpiam pronunciare aut statuere periculosum minimeq́; decorum est: ita quælibet præcepta ac pronunciata legibus demonstrare velle, ridiculū est, planeq́; ociosum. Seruanda nanq; est diligens & artificiosa docendi ratio, ne ijsdem rationib. ex eadem disciplina assumptis, eiusdem scientiæ vel artis theoremata & principia cōprobare velle videamur: quæ sanè præceptio accuratè & prudenter ab Aristotele primo posteriorum Analyt. tradita est: quam qui non sequuntur, grauiter errāt, tum quia demonstrationum genera cōfundunt, tum quia eadem faciunt

notiora & ignotiora, tum deniq; quia disciplinarum præcepta finesq; & limites, quibus constringuntur omnes, perperã inuoluũt, ac res superfluas easdemq; inutiles & superuacaneas miscent, necessarias interim inscitia prætermittẽtes. Quæ docendi ratio quia peculiaris est multis hoc nostro tempore Iureconsultis, paulum à re proposita digressi, quantũ in se vitiositatis leuitatisq; contineat, ostendemus. Ac primùm quidẽ, vt à notissimis & manifestissimis exordiar, quis est tam omnium disciplinarum ignarus, ac scientiarũ expers, qui non artes omnes, earumq; præcepta, suis proprijs finibus, quas transgredi vitiosum est, circunscriptas & quasi circũuallatas intelligat? Quod vel hinc colligi potest, quòd neq; physicus sua theoremata & pronunciata, quæ in natura dubitationem habent, ex aliarum artium propositionibus, sed ex proprijs: nec mathematicus ex Iurisprudentiæ aut physicæ axiomatibus: neq; aliarum scientiarum vlla, ex alienis sua demonstrare nititur: quippe cùm media quorum beneficio extrema coniunguntur, eiusdem naturæ & ordinis cum extremis esse debeant, si vera, & nõ apparens demonstratio esse contendat. Itaq; mathematicus mathematicis, physicus physicis, medicus medicis, moralis moralib. medijs, ad nectendas propositiones conclusionibus, vtetur. Quòd si idipsum ita est, ut certè est, quàm ridicula est

eorum

eorum tradendi Iurisprudentiam ratio, qui cæterarum disciplinarū non tantùm præcepta legislatorū autoritatibus confirmant, sed ne vllam quidem sententiam, interdum etiam ne vocem quæ legislatoribus cognita, aut lege comprobata nō sit, proferre audent? egregiè se suo officio functos existimantes, si non columnas, nō paginas, sed terniones, ac nisi quandoq; tædiū lectori allaturos se putarent, longissimos libros, Doctorum & legum non necessarijs citationibus & autoritatibus repletos conscribant: ociosi et indocti hominis iudicium, ab omni recta ratione, cuius potissima in doctrina laus est, alienum. Quid enim definitio Dialecticorū, genere & proprijs differentijs constans, vera & necessaria? An medicorū regula, Contraria contrarijs curari, perpetua nō erit, nisi lege aliqua, aut opinionibus multorum Doctorum confirmetur? An, cōtrariorum eandem esse disciplinam, falsum? vel, vt semel dicam, an tota argumentandi ratio nulla futura est, nisi aut Vlpiani aut Pauli Iureconsultorū doctissimorum responso comprobetur? Vitanda profectò est hæc disciplinarū confusio, & reprimenda atq; castiganda insignis & impudens hominū audacia, ne bene constituti artium fines, temerè aliorum imperitia misceantur, & adolescentum ingenia rudia adhuc & imbecilla, perplexitate ac confusa rerum omniū multitudine, ab ho-

nestissimo proposito deterreantur, rerumq́ per se facillimarum comprehensione fraudentur. Alterum est vitium, quòd pleriq́ in rebus manifestis, nullaq́ demonstratione aut confirmatione indigentibus, inutiliter eas legum & doctorum virorum autoritatibus confirmãdo, insistunt. Cùm enim omnis demonstratio ad obscurarũ rerum explicationem adhibeatur, frustra illi laborant qui res notas, nullaq́ dubitatione implicatas, euoluere aperireq́ cõtendunt. Sunt autem quædam nota per se, et suapte natura: vt quæ exposita sunt sensib. videlicet, ignem calefacere: & quæ omnium hominum animis à natura insitæ atq́ impressæ sunt notitiæ, quas ἐννοίας κοινὰς *&* ἀξιώματα *Græci appellant, cuiusmodi sunt, Contraria contrarijs curari: Vim vi repellere licere, & quæ his sunt similia. Quædam autem nota quidem sunt & manifesta, non per se, & suapte natura, sed positione tantùm: tum quia in qualibet arte quasi præsupponuntur esse artifici cognita & concessa, tum quia ex eiusdem artis vel scientiæ theorematibus demonstrari non possunt. Huiusmodi est genus subiectũ artis, eiusdemq́ finis & principia prima, ex quorum connexione demonstrationes conficiuntur. Vt enim medicus non nititur probare sanitatem esse finem, nec corpus humanũ esse subiectum suæ artis, vel quantitatem continuam geometra, aut ciuilis & politicus*

rempub.

rempub. ita neq; legislator vel Ireconsultus de actionibus ciuilibus & iustitiæ conseruatione quidpiam dubitant, sed hæc tanquam concessa artis suæ principia sumentes, leges de actionibus ciuilibus ad æqualitatem illam iustitiæ tendentes condunt, vel conditas iam interpretantur. Vel si quidpiam de genere subiecto aut fine proposito disputãt, id non ex propriæ artis, sed aliarum scientiarũ, quæ ipsam antecedunt, sumunt. Cùm enim theoremata ac præcepta artis, ex eiusdem artis vel scientiæ principijs demonstrentur, fieri profectò nequit, vt eadẽ principia ex ijsdem conclusionibus cõprobentur: cæteroquin principia non essent principia, quia non essent prima: & conclusiones essent notiores principijs, & sic eadẽ notiora & ignotiora: deniq; daretur progressus in infinitũ, quia principium esset principij, quod ab omni sensu & ratione abhorrens est & alienum. Vt ergo seruetur recta docendi in disciplinis ratio, quædam citra demonstrationem sumenda sunt, quædam sine probatione admittenda nõ sunt. atq; ineptè illi faciunt, qui non nisi rebus magna legum infinitate conclusis, fidem adhibẽt. His ita breuiter expositis, ad propositũ reuertamur, & qua ratione actio ciuilis et legitima, propria Ireconsulti & legislatoris materia sit, demonstratione tum philosophica, tum legali ostendamus. Aristoteles itaq; omnis philosophiæ princeps,

in libro Analyt. posteriorum, quatuor res ad generis subiecti alicuius scientiæ naturã necessarias esse (& rectè id quidem mea sententia) arbitratus est: principia nimirum, partes, & passiones seu proprias affectiones, quas πάθη & συμπτώματα Græci appellant: denique vt omnia illa quæ in disciplina, cuius subiectũ esse ostenditur, ad illud tanquam primum quoddam principiũ referantur, ita quidem, vt quicquid artifex moliatur, agat vel contempletur, id totum eius rei gratia fecisse videatur. Principia appello, tum sua elementa quæ insunt, qualia sunt, materia & forma: tum suas causas, quæ non insunt, vt efficiens & finis. Partes eas voco, quas nostri dialectici species, barbari partes subiectiuas, quòd generi subiectæ sint, nominant. Passiones autem, propriæ sunt affectiones, seu propria accidentia, quæ de genere subiecto eiusq; partib. demonstrantur. Principia ergo in omni disciplina cognitu sunt necessaria, quippe cùm ex his demonstrationes nectantur, ex ijsq; propriæ passiones oriantur. Sed hoc interest, quòd nõ omnis ars vel disciplina, omnia principiorũ genera contemplatur: quædam enim artes his omnibus coniunctim, quædam duobus, quædam vno tantùm vtuntur. Physicus nanq; & materiam & formam primam, & efficiens & finem cognoscit. Metaphysicus efficiens primum, & formam primam. Mathe-

maticus

maticus solam formam, vel vt alij volunt, huic adiunctam materiã, sed intellectione formatam. Moralis philosophus, itemq́; Iureconsultus, & simpliciter omnes ij qui reipub. vel moribus præsunt, præcipuè finis rationem habent, interea tamen causam efficientem & materialem non negligentes. Quinimò omnis demonstratio quæ in his facultatib. nectitur, ex fine vel efficiente vtplurimũ peti solet: quia omnis actio alicuius boni gratia fit, & à fine dijudicatur. Propriæ autem affectiones ideo sunt in disciplina necessariæ, quia ex his generi suo & partibus eius adiunctis, demonstrationes colliguntur: in scientijs quidem, vt generis subiecti ac passionum natura cognoscatur tantùm: in artibus verò & habitibus animi actiuis et factiuis (vt ita dicam) vt modus agendi efficiendiue inuestigetur: vt, in mathematicis affectionem propriam trianguli, scientiæ & cognitionis gratia demonstramus: in medicina passiones corporis, vt eas vel præsentes propellamus custodiamúsue, vel absentes reuocemus. Eademq́; ratio est in Iure ciuili, & disciplina morali: in his enim affectiones animi, & reipub. actionúmue ciuiliũ, non ideo contemplamur vt cognoscamus tantùm, sed vt vel vitiosas fugiamus, vel bonas & laudabiles imitemur. Rectéq́; dixit Aristoteles in fine decimi libri Ethic. οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα, &

γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά, οὐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν τὸ εἰδέναι, ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι, πειρατέον, ἢ εἴ πως ἄλλως ἀγαθοὶ γινόμεθα. *Verba enim sola, & solæ disputationes, bonos et ciuiles reddere nos non possunt, nisi actio & vsus quoq; accesserit.*

Partes insuper et species generis subiecti ad hunc potißimùm vsum cognoscuntur, vt ex ijs præcepta ac theoremata constituantur. Deniq; non satis esset hæc decenti ac conuenienti methodo ac ratione inuenisse, nisi ad vnum aliquem finem, vnúmue principium referrentur omnia: quæ enim aliter fiunt aut cognoscũtur, dissoluta prorsus sunt, nec sibi inuicem hærent. Itaq; vt omnia coniuncta sint in disciplina, ordoq́; & series præceptorum constans & æquabilis habeatur, nihilq́; sit redundãs aut superuacaneũ, necessarium omnino est genus subiectum, doctrinæ, vt philosophi aiunt, esse adæquatum: hoc est, omnia quæ in arte aut scientia traduntur, ab illo tanquã rege & supremo principe dependere, & ad vnum extremum finem referri. Has quatuor res, ad omne genus subiectum necessarias, in eo quoq;, quod nos Iurisprudentiæ subiecimus, reperiri, satis apparet: quippe cùm & principiorum, et partium, & paßionum rationem habeat, & omnia præcepta ac theoremata in vnam actionem ciuilem tanquam receptaculum quoddã referat. Versatur enim hæc operatio ciuilis

uilis & politica in materia quadam, eaq́; aut re, aut persona, aut tertio quodam, quod ex horum relatione & habitudine, vt deinceps dicã, oritur: materia enim ex qua aliquid fit, non est huius instituti, sed refertur ad res naturales & artificiosas, de quibus non loquimur. Nec solùm contemplatur hanc materiam Iureconsultus, sed etiam causas efficientes, finales & formales. Efficientes quidem, vt naturam & rationem ciuilem, à quibus tanquã fontibus homines ad agendum impelluntur. Finem verò, vt iustitiam ac tranquillitatem reipub. Forma seu formale principium reducitur ad finem, perinde ac in rebus naturalibus, vbi finis & forma in idem redundant. De partibus ac speciebus actionis, nihil est quod dicã, cùm eius sint propè infinitæ: ut, tutela, cura, usucapio, præscriptio, obligatio, iudicij persecutio, et quæcunq; tandem actionis nomine continentur. Paßiones quoque & proprietates eius à Iureconsulto considerantur, cùm & quæ, & qualis, & quanta, & quo tempore, & quo loco quælibet suscipienda sit, demonstratur. Tandem quid obsecro in toto Iure ciuili, tam amplo atque vasto pelago, disputatur, quod non vnam actionem respiciat, ad eamq́; referatur? Nam cùm omne ius aut personas, aut res, aut actiones iudiciarias contineat, nihil profectò in his inuenire licet, quod non ad actionẽ ciuilem pertineat: nam & qua

ratione personæ custodiendæ, sibi inuicē iungendæ, separandæ'ue, & quæ his sunt similia, in prima Iuris parte, quæ ad personas spectat, traditur. Et quomodo res vel acquirendæ vel amittendæ, in secūda, quæ ad res pertinet, docetur. Et in tertia, quæ actiones et quales in iudicio intentādæ vel omittendæ: quomodoq; vel personarum, vel rerum iura nobis sunt conseruanda, copiosè disputatur: vt omnia, nostræ actionis ciuilis nomine cōprehendantur: recteq; dici possit, actionem legitimam seu politicam, vel si mauis, acta & facta politica, esse propriam materiam seu genus subiectum, quod Iureconsulti & legislatores contemplantur. Eadem sententia confirmari potest multis ac propè infinitis rationibus, ex media Iurisprudentia desumptis. Nam vt definitiones illas legis, quæ vel solæ nostram hac de re sententiam tueri possunt, superiori loco recitatas, omittam, audiamus loquentem Vlpianum Iureconsultum, qui sic inquit: Ius est ars boni et æqui, cuius meritò quis nos sacerdotes appellet. Iustitiā nanq; colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum, verumetiam præmiorū quoq; exhortatione efficere cupientes, & veram (nisi fallor) philosophiam affectantes. Bonū autem & æquum, licitum & illicitum, iustum atq; iniustū, in quibus obsecro re-

cro rebus cernuntur, quàm in dictis factísue hominum? quæ si bona & honesta sunt, laudantur: si mala & inhonesta, vituperantur, metuq; pœnarū coërcentur: atq; in vniuersum, vt virtutes, ita & vitia in actione consistunt. Idem scribit, tria esse Iuris præcepta, veluti tria omnis iustitiæ principia ac fundamenta, ad quæ omne ius reducatur: honestè nimirū viuere, alterum non lædere, ius suum cuiq; tribuere. Quibus sanè omnes virtutis partes, & vniuersas vitæ nostræ actiones est complexus: vita enim hæc nostra ciuilis & politica, non ociosa & inanis est, sed tota in actione rerum honestarū & vtilium, atq; contrariarum fuga et abstinentia posita est. Quapropter rectè Modestinus legis virtutē esse ait, imperare, vetare, permittere, ac punire. Et Cicero: Omnis lex iubet, aut vetat: iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria, permittit licita, punit illicita, quæ omnia ad moderandas hominum actiones, quibus societas & huius vitæ consuetudo coalescit contineturq;, referuntur. Tandemq; Vlpianus, totū ius aut in acquirendo, aut in communi seruando, aut in minuendo consistere testatur: aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cuiusq; fiat, aut qua ratione quis rem suā, vel ius suū conseruet, aut quomodo alienet, vel amittat. Ex quibus sanè omnibus multisq; alijs, quæ consultò prætermitto, luce meridiana clarius apparet,

nostram de materia generéq; subiecto legum ac Iurisprudentiæ sententiam, non tantũ veterum Iureconsultorum opinioni, sed ipsi adeò rerũ veritati esse conformem atq; consentaneã. Porrò autem hoc in loco non immeritò quis à me quærat, qua ratione actio legitima & ciuilis, seu facta dictáq; hominum politica, statuantur propria materia Iuris, cùm Imperator statim ab initio suarum Institutionũ, & Paulus Iureconsultus l.1. de statu hominũ, omne ius quo vtimur ad tria pertinere, personas nimirum, vel res, vel actiones, dicat: quæ sententia si vera est, & ab omni non tantũ antiquitate recepta, sed etiam à nostræ ætatis Iureconsultis vno ore cõprobata, quo tandem pacto cum nostra consentire atq; conuenire poterit? Hæc obiectio etsi speciosa est, tamen nihil in se cõtinet difficultatis: quinimò si diligentius à nobis excutiatur, planè cum nostra hac de re sententia conspirare, idémq; sentire inuenietur. Quandoquidem illi facilioris doctrinæ gratia perspicuitati rerum studentes, partes huius generis subiecti, quod actiones esse diximus, loco materiæ & subiecti posuerunt: omne enim, vt nuper dixi, genus subiectũ, habet proprias partes seu species, quæ in vno genere cõueniunt, et de quibus præcepta atq; theoremata in disciplinis constituũtur. veluti in sciẽtia naturæ, corporis partes sunt quædã simplices, quædam cõpositæ: & hæ rursus variæ ac

riæ ac multiplices, vt in physicis docetur. Et in disciplina de moribus, cuius materia est homo, eius partes sunt anima & corpus: animæ autem, vis intelligendi, vis irascendi et cõcupiscendi. Eãdem ratio est in cæteris artibus ac scientijs omnib. vt in illis, ac nostro Iure ciuili, in quo partes & species actionis politicæ sunt, personæ, res & actiones: sunt inquam partes, non simpliciter & per se consideratæ (quomodo enim persona aut res per se spectata, operationis actionisue partes esse possent?) sed in quadã relationẽ & comparatione, quatenus ad se mutua habitudine referuntur, & ex his hominũ inter se contractus & συναλλάγματα proficiscuntur. Itaq; legislator non de re, vt res est, nec de persona vt persona est, leges statuit: est enim hæc contemplatio alterius artificis, qui eorũ naturas ac principia contemplatur: sed quatenus res aut acquirũtur, aut conseruãtur, aut amittuntur. Itemq; de personis disputat quatenus possident, vsucapiũt, tutelam curamue gerunt, seruiunt aut dominãtur. deniq; de actionibus, quibus inter se personæ vel de rebus, vel de dignitatẽ harum, quæ omnia vel acquirere sibi, vel conseruare, vel amittere possunt, vel contrà non possunt, contendunt: hoc enim pacto omnia vno actionis nominẽ continentur: & personæ, res & actiones, sunt quasi fundamenta, ex quibus negocia ciuilia, operationesq;

& actus hominum inter se, gignuntur. Quandoquidem negocium aut respicit personas, & cõstituit ius personarum: aut respicit res, & hinc oriuntur præcepta de rebus: aut vtrũq;, cùm videlicet personæ vel inter se vel de rebus cõtendunt, & ex hoc oritur ius de actionibus. Habentq; hæc omnia inter se hunc ordinem, vt priores quidẽ sint personæ, ex quibus subiectis res veluti scaturiunt: ex rebus ipsis personisq;, rursus actiones emanãt. Verbi gratia, persona est, dominus, seruus, maritus, vxor, tutor, pupillus. Inter hæc iam nunc quædam cõmercia & συναλλάγματα deprehenduntur, vt inter dominum et seruum: hic enim seruire, ille verò imperare visitur. Pariq; ratione inter vxorem & maritum, tutorem et pupillum, non tantùm commercia quæ ad ipsorum personam spectant, sed etiã res quæ intercedunt reperiuntur, ex quarũ permutatione necesse est actiones oriri, atq; ita ad iudicium procedi, vt hic quidem accusetur, quòd mala fide rem domini vel pupilli gesserit, ille verò contra vim & iniuriã defendatur. Et hac ratione Iustinianus personas, res & actiones considerauit, non simpliciter & absolutè, sed quatenus in ciuili societatẽ spectantur: et ex earum mutua comparatione, omnes actiones, omniaq; dicta ac facta scriptáue ciuilia atq; legitima scaturiũt, oriunturq;. Atq; huic quidem nostræ sententiæ adstipulantur

omnes

omnes iuris interpretes, qui opinionē Accursij non tantùm in Institutionib. de iure personarū. sed & in Pādect. de statu hominū. in quib. locis triplex hæc iuris materia proponitur, sequuntur: Vbi manifestè, rei & personæ nomine non simpliciter, sed quatenus acquiruntur, amittūtur, conseruātúrue, Imperatorem cæterosq; Iureconsultos vsos fuisse comprobant. Recteq; Vlpian. de regulis Iuris, Rei nomen tam latè patere dixit, vt etiā eius appellatione & causæ et iura cōtineātur: quē tamen locū alij aliter interpretātur.

Neq; verò me latet, quorundam hac de re aliter loquentium ac scribentiū opinio, qui Iustiniani Imperatoris, & Pauli Iureconsulti, triplicē iuris in personas, res & actiones partitionem, aliter atq; nos accipiunt, eamq; sic interpretantur, vt omnis iuris disceptatio vel cōtrouersia, aut de persona alicuius sit, aut de rebus, aut de factis eius & actis: actionesq; à Caio & Paulo Iureconsultis, non eas quibus ius nostrum in iudicio persequimur, sed simpliciter pro dictis factisue hominum, quæ συναλλάγματα Aristoteles appellat, & in contractus et delicta diuidit, accipi existimant. Atq; hanc suam opinionem ijs potissimum argumentis confirmari arbitrantur, quòd actiones quibus res nostras in iudicio persequimur, in rebus intelligantur, & ad res propriè referantur, propterea quòd omnis actio ex persona vel re ortum

habeat, vicißimq́; in rem vel personã dirigatur. Itaque falsam esse hanc enumerationẽ, personæ, rei & actionis, cùm pauciora sint, & plura dicãtur: satisq́; esse si bipartita proponatur diuisio, vt omne ius aut personarum sit, aut rerum, cùm actiones istæ forenses in rebus nostris annumerentur. Adhæc, quòd si cui actiones, cùm eiusmodi sint, dignæ videantur, quæ inter principes Iuris partes numerẽtur, nihil causæ videri cur non & obligationes & iudicia eodem loco ponamus: illæ enim procedunt & producunt actiones, iudicia sequuntur eas, & ad exitum perducunt. Sed hæc quidem sententia mihi non satis probatur, multas sanè ob causas: ac primùm quidem, quia non cõmuni tantùm omnium Dd. atq́; interpretũ, rectè hac de re scribentium opinioni, sed etiam Iustiniani Imperatoris, Pauli et Caij Iurecõsultorũ verbis planè aduersatur. Iustinianus enim cùm initio suarũ Institutionum, ius omne aut ad personas, aut ad res, aut ad actiones pertinerẽ dixisset: et primo libro personas, secundo res, & deinceps tertio, vsq́; ad sextũ titulum quarti, copiam, conseruationem, & amißionem, ac simpliciter omne genus contractuum explicasset, vltimum tandem tractatum sic orditur: Superest vt de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud est, quàm ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Ex quo dicendum est, rerum appellatione,

tione, contractus etiam omnes, & delicta, ex ijsq́; descendentes obligationes comprehendi debere. atq́; id hanc rationem, quam illi non satis expendunt, habet: quia Iureconsulti & legislatores, vt nuper dixi, de rebus vt res sunt nō consultant, sed quatenus acquiruntur aut amittuntur aut conseruātur, ex ijsq́; homines aut res sibi inuicem obligātur: omnia enim hæc κτ̀ σχέσιν & comparationem accipienda sunt: omnisq́; rerum diuisio ad id tendit, vt quo pacto singulæ nostro dominio subijciātur, aut alienentur, aut conseruentur, perspicuè ostendatur. Et quanquā rei appellatione quandoq́; actiones contineātur, tamen id perpetuum non est: quod & Accursius & alij omnes Interpretes sentiunt, sententiam Pauli & Imperatoris Iustiniani cōprobantes. Ideoq́; vera est eorum enumeratio, neq́; aliqua vitiosa redundantia laborat, cùm actionis nomen presſius ibi accipiatur, et contra personas atq́; res distinguatur. Cur autē actiones, & non obligationes, quæ actiones producunt, aut iudicia, quæ easdem sequūtur, in suprascripta diuisione enumerētur, multæ possunt afferri rationes. Nam denominatio alicuius rei fieri solet, aut à præstantiori, aut à notiori, & ab ea quandoq́; quod maximè in aliquo excellit. A præstantiori quidem, vt cùm res omnes naturales à forma denominātur, etsi habeant adiunctā materiam, quæ est altera substan-

tiæ pars: quia forma dat esse rei, & materiã illustrat & perficit. A notiori, ut cùm Socratem philosophũ dicimus, & non Socratem Sophronisci filium: quia quòd philosophus sit, plures fortasse quàm quòd Sophronisci filius, vel econtrà, intelligunt. Ab eo quoque quod in quauis re potentius atq; excellentius est, denominatio sumi solet: ueluti cùm dicimus, rem esse acidam vel frigidam: quanquã enim habeat aliquid adiunctũ dulcedinis vel caliditatis, tamen quia alterum præpollet alteri, & qualitatẽ sua obscurat qualitatem alterius, ab eo quoq; denominatur. Sic ergo in proposita quæstionẽ, etsi obligatio, actio & iudicium ad idem referri dicantur, eundemq; scopum respicerẽ, quia actionũ mater sit obligatio, eandẽq; sequatur iudicium, tamen manifestior est natura actionis quàm obligationis, & à rebus ac personis magis distincta. Est quidem manifestior obligatione, propterea quòd est effectus obligationis, & effectus sunt notiores sua causa, quemadmodũ filius est notior sua matrẽ: omnes enim homines filios esse scimus, at matres non illicò cognoscimus. Est etiã actio magis à re et persona dissita quàm obligatio: quia res et personas statim sequuntur cõmercia & obligationes, iisq; perpetuò inhærent: at actiones non semper, sed tum demum, cùm persona inter se de rebus, vel earum dignitate & officio contendunt. Quoniã ergo actio-

go actiones longius dißitæ sunt à rebus ac personis quàm obligationes, meritò aduersus eas diuiduntur. Neq; refert quòd his non opponantur, vt diuisionis lex requirere videtur: species enim specieb. non opponuntur, sed differentiæ differentijs: vt, homo non pugnat cum boue, sed rationale cum irrationali. At hæc diuisio in species facta est, non in oppositas differentias. Quòd autem actiones & non iudicia connumerentur inter principes Iuris partes, non mirũ cuiquam videri debet: quippe cùm iudicia, actionũ caussa sint inuenta atq; instituta: cessante enim actione, cessarẽt profectò iudicia. Cùm ergo sola actionẽ, tanquam satellitẽ & ministra tutißima, nos nostraq; omnia, aduersus vim & iniuriam & fraudes aduersariorum tueamur, nil absurdi res in se continet, si ijs quæ vel ipsam pariunt, vel eam sequũtur, quæq; eius gratia inuenta sunt, præponatur. Satis enim est in his disciplinis, quæ exactã methodi & scientiæ rationẽ ac demonstrationẽ non admittũt, ita singulas quasque partes adinuenisse collocasseq;, quatenus inconstans atq; mutabilis rerum natura, & circũstantiarum varietas patitur. Sed hæc disceptatio quia à nostro proposito, qui breuitatem affectamus, est aliena, in locũ cõmodiorem excutienda reijciatur. Ad rem igitur reuersi dicimus, actiones seu facta hominum legitima & politica, esse propriam materiam, pro-

priumq; Iureconsulti & legislatoris genus subiectū.

Verùenimuero hoc in loco meritò quis ambigat, qua ratione actiones legitimæ seu ciuiles esse possint materia seu genus subiectum Iurisprudentiæ, cùm omnis artis atque disciplinæ, siue in cognitione siue actione posita ea sit, vnum tantùm quod habeat, genus subiectū reperiatur: quapropter effici videtur, vt aut actiones solas, aut id quod legitimum est, materiam Iuris esse statuere oporteat. Sed alicui hunc in modum dubitāti, responderem, non duo, sed vnum quid actione legitima indicari: etsi enim duæ sint voces, eandem tamen & vnam rem constituunt, quæ vno nomine seu voce exprimi nequit. Neque enim absolutè actio à Iurecōsulto, aut id quod legitimum ac ciuile est, cōsideratur, sed quatenus hæc duo ad se inuicem referuntur, & quatenus actio qualitatem hanc, legitimū videlicet, habet. Idq; in cæteris scientijs ac disciplinis penè omnibus inuenitur. Nam Musica numeri naturam cōtemplatur, at non simpliciter, sed quatenus ad harmoniam aptus est. Et physicus, corpus quatenus mobile: geometra quātitatem, vt immobilis est, & motione caret. Et vt semel dicam, quodlibet genus subiectū propria notatur differentia, qua à cæteris artium subiectis differt. Atq; id est quod Aristoteles dixit, solam metaphysicam, seu primam philosophiam esse ἀνυπόθετον, non tantùm

ratio-

ratione principiorum, sed etiam ratione generis subiecti: hæc enim sola sua habet principia, quæ ab alijs comprobari non possunt, sed sunt simpliciter prima, & genus subiectum simplicissimum, Ens videlicet quatenus ens est. Aliæ verò scientiæ ac disciplinæ omnes, non tantùm principia eorumq; demonstrationes mutuantur à metaphysico, sed etiam genus subiectum: quia earum subiecta, vt ille ait, per additamenta fiunt: veluti mathematicus enti addit quantum, & fit materia mathematici: physicus enti adiungit motum, & arithmeticus quanto discretũ: & sic aliæ omnes adiuncta differentia propria sibi sumunt subiecta. Quandoq; etiã fit, vt duæ scientiæ nõ distinguantur ratione sui subiecti, nisi addatur differentia, quæ eas disiungat: veluti physicus & medicus considerant ambo corpus, sed alter naturale, alter humanum, & sanabile, & ægrotabile. Et arithmeticus & musicus contemplantur naturã numeri, sed hic quatenus harmoniã & consonantiam efficit, ille quatenus ad res numerãdas aptus est. Par profectò est ratio in nostra Iurisprudentia, ijsq; quæ huic sunt proximæ atq; cognatæ scientiæ. Nam & disciplina de moribus, quæ moralis, & ratio administrandæ familiæ, quæ œconomice dicitur, & facultas instituendæ ac regendæ ciuitatis, quæ politice appellatur, actionum humanarum, dictorum factorumq; sunt

studiosæ, & de his præcepta, ad vitæ cõmoditatem vtilia tradunt, sed non eadem ratione. Ethice nanq; actionum priuatarũ rationem habet, & quid in his laude vel vituperio dignum sit ostendit. Oeconomice, familiæ atque domus actiones præceptis moderatur. Politice, totius ciuitatis mores; ciuiũq; facta contemplatur. Tandemq; Iurisprudentia, quæ politicæ potissima profectò pars est, eiusdem ciuitatis, ciuiũq; eam inhabitantium actiones, quatenus lege vel prohibentur vel iubentur, considerat, quidq; in his iustum vel iniustum, legitimũ vel illegitimum sit perquirit. Hæc enim differentia addita actioni quæ antea erat cõmunis multis, nunc efficitur peculiaris & propria Iureconsulti, qua à cæteris eiusdem ordinis disciplinis distinguitur. Generi ergo si adiuncta sit differentia, efficitur species: quæ quandoq; vno nomine exprimi potest, quandoq; non potest: veluti si animali iũgatur rationale, homo gignitur: at in scientijs id rarò vsu uenirẽ solet, sed vtplurimum duabus genus subiectum exprimitur vocibus. Sed rursus quærat aliquis: Si omne genus subiectum propria notatur in disciplinis differentia, vt nuper demonstratum est, cuius nam contemplatio potior sit in arte: veluti in Iurisprudentia, actionísue, an eius quod legitimum est: et in medicina, corporísne an sanitatis. In hac controuersia multis in eam sententiam addu

cor ra-

cor rationibus, vt existimem, Iureconsultum primò & per se, considerare id quod legitimũ est, seu leges: secundo loco, ipsas actiones. Et medicum primò ac per se sanitatis rationẽ habere, deinde corporis. Etenim cùm duæ aut plures res cadunt in contemplationem alicuius scientiæ, quarum alteram ponimus esse in alia disciplina uel scientia perspicuã ac demonstratione manifestam, alteram verò vt ignotam disquirimus, profectò id primò ac per se cognoscerę expetimus, quod etiam inquirimus atq; inuestigamus. Scientiæ nanq; artesq; singulæ ea quæ nota sunt non inuestigant, quia illa iam cognita habent, ac animo poßident artifices: & quæ poßidemus, non quærimus: ignota verò quia nõ tenemus, ideo quærimus, vt tandem inueniamus. Actiones autem earumq; vis & natura, in lib. de moribus & repub. iam explicata est, ideoq; cognita nõ inuestigatur. In ijs enim quæ ipsarum sint principia & causæ efficientes, voluntas nimirũ et electio, copiosè explicatur: & quæ ipsarum forma, vt quid, quantum, quomodo, vbi, et quo tempore, & cuius rei gratia agendum sit, ostenditur. Iureconsultus ergo primò & per se, id quod legitimum est, hoc est, actiones quatenus lege definiuntur, contemplatur. Aristoteles quoq; omnis philosophiæ princeps, rectè iiij. Diuinorũ, id præcipuum in aliqua disciplina locum tenerę attestatur, ad quod o-

omnia quæ in ea traduntur præcepta atq; theoremata, primò ac per se referũtur. Leges ergo, & id quod legitimum est, primaria ratione à Iureconsulto consideratur. Iam verò & philosophi naturales, corporis cognitioni per accidens, motus autẽ primò ac per se incumbunt: et medici corporis, propter sanitatem, rationem habent: quapropter & Iureconsultos eosdem artifices imitari par est. Huc accedit, quòd differentia addita subiecto, habet rationẽ formæ, qua vt res separantur, ita illæ scientiæ distinguuntur. Quod autem rem à re distinguit, id magis vnicuiq; est proprium: actio enim non diuidit Iureconsultũ ab ethico, œconomico vel politico, sed legitimum & ciuile tantùm, & modus considerandi has actiones, quatenus videlicet legib. describuntur. Deniq; si Iureconsultus consideraret actiones per se & primò, vtique & de earum principijs, causis atq; elementis necessariò disputaret, quod sanè negligit, sed ponit loco principij à philosopho morali antea demonstrati. Ex his perspicuè apparet, actiones seu facta dictaq; legitima & ciuilia, esse materiã & proprium genus subiectum Iurisprudentiæ, de quo omnis Iuris disceptatio atq; cõtrouersia suscipitur. Neq; referre arbitror, an eius loco hominem, quatenus ciuiliter & legitimè agit, subiectũ statuas: quippe cùm actiones has hominum esse constet, quorũ gratia, ut Imp. ait, omne ius consti-

constitutũ est. Id etiam perspicuũ est, Iurecõsultos et legislatores de rebus ac personis nõ aliter disputare ac loqui, nisi quatenus efficiunt aliquid aut patiũtur, et in cõmerciũ, permutationẽ, vsumq́; hominũ ac reip. deducũtur. Hanc ego arbitror esse verã de nostræ Iurisprudẽtiæ materia genereq́; subiecto sententiã, eãq́; nõ tantũ rerum veritati, sed etiam omniũ rectè opinantium Iureconsultorũ scriptis consentaneam.

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER QVINTVS.

De fine, scopo, atq; officio Iureconsulti.

CVM Ius ciuile materiam & genus aliquod subiectum habere prius demonstratum sit, quodq́; & quale id sit, satis perspicuè (ut arbitror) ostensum, sequitur vt de ipsius fine, propter quem omnis iurisconsultatio suscipitur, nonnihil dicamus. Nam differunt artes & disciplinæ quæ in actione positæ sunt, à scientijs quæ rerum contemplationi innituntur: quòd his finis aut nullus omnino propositus est, aut is non re & natura, à genere subiecto, sed ratione tantùm distinguitur: illis autem & finis proprius, ad quem actiones diriguntur, constitutus est, atq; tota natura à materia earum separatur. Arithmeticæ nanq; genus subiectum est ipse nu

merus, physicæ corpus, geometriæ quantitas continua. Finis autem omnium harum disciplinarum, est cognitio suorum subiectorũ, quæ ratione, non essentia, à subiecto differt. At medici subiectũ est corpus humanum, quod à fine eiusdem, sanitate nimirũ, tota natura distinguitur. Veluti politicæ materia est respub. quæ à fine, felicitate scilicet, eadẽ ratione distat. Similis est ratio cæterarum artium ac disciplinarum omnium, quæ nõ in cognitione veri, sed actione honesta aut vtili versantur. Quis ergo & qualis sit Iurisconsulti finis, ad quem omnis sua deliberatio dirigitur, est inuestigandũ: neq; solùm quis sit finis, sed etiam quæ natura, scopus, et quod officium eiusdem: tum quia hæc tria ita sibi sunt cõiuncta atq; similia, vt non facilè à quoquam discerni poßint: tum verò quòd à nostris hoc tempore Iureconsultis, aut nunquam, aut sanè non satis perspicuè sint exposita atq; declarata. Horum præterea cognitio nõ tam ad artis ac disciplinæ perceptionem & inuentionem est vtilis, quàm necessaria: quippe cùm ex notione finis, eiusdemq; diductione ac resolutione in suas causas atque principia & elementa, omnis disciplinæ partes, præceptaq; ac theoremata inueniantur, & ad eundem, tanquã normam quandam perpetuam, & Lydium quendam lapidem, examinantur. Recteq; Galenus in libello de optima secta ad Thrasybulum, &

Ari-

Aristot.iij.Polit. inquit, omne præceptum tribus potissimùm rebus æstimari debere, veritatę, vtilitate, atq; consensu: ex quibus si vnum desit, fieri non posse vt inter propria disciplinæ theoremata connumerari queat. Nam omnes scientiæ & artes, cùm nihil aliud sint quàm collectiones multorũ præceptorum, eorumq́; quæ & vera sunt & vtilia, & ordine inter se cohærentia, atq; sibi inuicem cõsentientia, hinc fit vt quæ falsa sunt & ementita, vel ad vsum & commoditatem huius vitæ inutilia, vel propositis principijs ipsiq; adeò fini non consentanea, sed potius repugnantia, ab ijsdem negligantur. Veritas autem cuiusq; præcepti, quatenus sub comprehensionem artificis, eiusdemq́; intellectum cadit, cognoscitur: quæ enim omnino nõ sunt, aut non vera sunt, ea nõ comprehendimus. Vtilitas fine dijudicatur, quatenus ad vsum & cõmunionem huius vitæ refertur. Consensus autẽ tum ex principijs constitutis, ex quibus dependet, tum ex proprio fine ad quem dirigitur, tum denique ex cæteris eiusdem disciplinæ præceptis, quibus ordine cohærent, æstimatur. Ex quo satis apparet, quàm necessaria sit huius finis cognitio, vt qui eàm negligat, ad nullius artis scientiæ cõstitutionem cognitionémue peruenire queat. Quid ergo de his omnibus, veteres tum philosophi tum Iureconsulti senserint, conabor breuiter ordine ac via explicare,

vsusq; instrumento resoluendi, quod est aptissimum ad problemata rectè & sine errore inuestiganda. Nemini itaq; dubium est, omnem finem esse quandam perfectionem: quia finis est quidam terminus & extremū, ad quod omnis actio seu contemplatio dirigitur, & in quo omnis motus tandem quiescit et cessat: quem cùm nō assequitur quidpiā, nulla ex parte perfectū, sed rude & inchoatū adhuc esse iudicatur. Ideoq; quilibet artifex qui sibi fabricat notionē finis, is & perfectionis conceptum habeat necesse est. Eiusq; rei euidens argumentū esse nobis potest, quòd Iureconsulti atq; philosophi in cōstitutione huius vltimi finis, diducti in varias ac multiplices sectas atq; sententias, quoniā concipiebant hunc finē sub ratione perfectionis. Alij enim Iurisprudentiæ finē tranquillitatem reipub. alij iustitiæ (seu vt Cic. inquit) legitimæ & vsitatæ in rebus causisq; ciuiū æqualitatis conseruationē: nonnulli deniq; eum in legibus interpretandis & æquitate populo explicandis constituerunt. Qui quidem omnes fines, sunt quædā perfectiones, propterea quòd ciuilem societatē præsentes custodiunt, absentes verò corrumpunt ac dissoluūt. Cùm ergo præsentes custodiāt, retinendos, absentes autē lædant, reuocādos instituēdosq; esse arbitrati sunt: concipitur itaq; finis sub ratione perfectionis. Omnis autem perfectio & absolutio rei, est quoddā bonū: imperfe-

perfectio, vt ita loquar, malum: quod enim perficit, cõseruat: quod imperfectũ est, naturam destruit. conseruare autem vt bonũ est, ita destruere malũ. Finis ergo, perfectio atq; bonum, sunt reciproca: recteq; dixit Aristot. bonum esse, quod omnia appetunt: quia bonũ est finis & expetibile, & expetibile est finis & bonũ. Bonum autẽ est duplex: alterũ, quod primò et per se, & propter se expetitur: alterũ verò, quod propter aliud. Quod primò ac per se bonũ est, id appellamus, quod suapte natura nõ tantũ bonũ est, sed illud etiã, ad quod cætera omnia, quæ vel suapte natura, vel quadã cõparatione bona sunt, referuntur. Quod verò propter aliud bonũ est, id est quod aut summi illius boni gratia expetitur, aut ipsius per se boni est quidã fructus, ipsumq; per se bonum sine medio consequitur. Verbi gratia, corporis humani per se bonũ expetibile, est ipsa sanitas, quoniã ad hanc omnia reliqua bona referuntur, ipsiusq; sanitatis gratia corpori adesse conspiciuntur. Fructus autẽ huius summi boni qui cõsequitur, est bona & integra corporis operatio, itẽq; pulchritudo, robur, bona habitudo, & quæ reliquarũ partium omniũ propriæ sunt, & secundũ naturam affectiones seu dispositiones, vniuscuiusq; membri constitutionẽ comitantes. Bona quæ sanitatem hanc antecedunt, & ad illam tanquam extremum & vltimũ bonum referuntur, illa propriè esse

dicuntur, quæ vel sanitatẽ efficiunt, vel conseruant: veluti sunt, deambulatio, somnus & vigilia moderata, cibus & potio debita, simpliciterq́; omnia illa quæ habent vim efficiendi, conseruandi sanitatem, vel depellendi contrarium morbum. Eadem bonorum partitio reperitur in vniuersis alijs scientijs, ac disciplinis omnibus quæ in actione positæ sunt, maximeq́; in ijs quæ ciuilem societatem tueri ac defendere nitũtur. In hac enim societate est summũ quoddam bonũ, quod per se, & propter se, atq; etiam primò expetitur, ipsius nimirum æqualitatis legitimæ conseruatio, quæ iustitia appellatur. Quicquid enim in libera ciuitate aut repub. geritur, quicquid à legislatore vel Iureconsulto, deliberationis atque consilij suscipitur, id omne iustitiæ gratia, ad quam aliarum rerum vsus commoditatesq́; & opportunitates per se ac primò diriguntur, fieri existimandum est. Dixi autem primò ac per se, quia finis, & vnumquodque quod absolutè bonum est, non tantùm suijpsius gratia & καθ' αὑτό, sed etiam πρώτως, hoc est, primò & ante omnia est expetibile. Rectéq; monet Aristot. lib. primo post. Analyt. hæc duo nõ parum inter se differre: quod enim primò expetitur, id etiã per se, & suijpsius gratia expetitur. Sed non conuertitur hæc enunciatio, propterea, quòd per se expetibile, maioris est ambitus, quàm primò expetibile. Etsi

ergo

ergo multa per se et suapte natura ab hominibus expetuntur, nihil tamen præter hanc iustitiã & æqualitatem illam in ciuili societatẽ, primò & ante omnia desiderari potest neque debet. Quod autem summum hoc bonum in repub. consequitur, est ipsa ciuium & reipub. totius tranquillitas atq; concordia: quemadmodũ ipsius sanitatis fructus, est totius corporis decor ac pulchritudo. Quæ iustitiam antecedunt, sunt illius efficientia ac conseruantia, simpliciterq; ea omnia, quæ tanquam media & instrumenta ad eam retinendam percipiendamq; adhibentur. Porrò autem iustitiæ (vt Aristot. quinto Ethicorum scribit) duplex habetur species: quarum altera particularis, altera vniuersalis ab eo dicitur. Particularis quidem, quia est pars totius virtutis, & contra cæteras animæ humanæ virtutes distinguitur: eaq; vel in distributione & recta ac legitima diuisionẽ, vel in cõmercijs hominũ emendandis consistit. Distributione quidẽ, vtputa honoris, infamiæ, præmiorum, pœnarum, dignitatũ, coronationũ, atq; etiam pecuniæ, vel aliarũ rerum, quæ inter eos partiri possunt, qui ciuili societate continentur, eiusdemq; vel ciuitatis, vel regni, vel optimatum status, vel censu factæ administrationis sunt participes. In his enim omnibus sæpe contingere solet, vt nõ omnes eiusdem rei vel digni, vel indigni habeantur, multiq; sint qui

vel plus quàm digni sint, vel minus, habeant. In quibus profectò quadā distributionē opus est, vt æqualitas & cōcordia ciuium conseruetur: atq; ei quidem qui plus reipub. aut ciuitati, cōsilio, ope, factóue commodauerit, plus etiam honoris, dignitatis vel præmij: ei verò qui minus, minus etiam earū rerum tribuatur. Consistit autem hæc distributio in quadam comparationē tum personarū, tum rerum inter se, quæ personis tribuuntur, vocaturq; ἀναλογία geometrica à mathematicis, quæ propriè in eo spectatur, vt æqualibus æqualia, inæqualibus secundū comparationem inæqualia tribuantur: quemadmodum iniustitia huic contraria, in horum quoque contrarijs, vt æqualibus inæqualia, inæqualibus præter conuenientiam dentur inæqualia. Altera huius particularis iustitiæ pars est, quæ contractus cōmerciaq; hominum inter se dirigit, atq; ad æqualitatis normā reducit: estq; hæc rursus bipartita quidē, vt & ipsi contractus seu cōmercia. Quædam enim cōmercia quia cōsensum ex vtraq; parte exhibent, spontanea atq; voluntaria dicuntur: quædā verò quia sine consensu partium fiunt, inuoluntaria appellantur. Spontanea sunt, vt emptio, venditio, mutuatio, spōsio, vsura, depositio, conductio: in his enim omnibus spontè cōtrahere dicimur. Nam qui mutuat & sponsorem accipit, in eo cōmerciū facit, quod pro pecunijs spon-

sionem

ſionem accipit. Qui item ad dies aliquot aut ſerui aut iumenti ſui operas ad agri cultionem locat, pro eoq́ vel nummos vel frumentũ vel aliud quidpiam accipit, is proculdubio cum altero contrahit. Contrahit etiam cum alio, qui apud alterũ quidpiam deponit, cùm pro depoſito probitatẽ ac fidem hominis, apud quem deponit ſuam rem, quodammodo recipere videatur. Quando igitur in huiuſmodi rebus, qui emit quippiam (verbi cauſa) precij partem dederit, reliquum daturum ſe promiſerit, ſed non det tamen, id quod nihil aliud eſt quàm iniuſtè agerę, tunc emendatrice hac iuſtitia opus eſt. Par eſt ratio, ſi quis rem depoſitam nolit reſtituerę, aut vadimoniũ deſerat, aut demum in cæteris omnibus ea non præſtet, quæ mutuæ cõuentionis obligationę facere præſtaréue tenetur. Ea autem quæ contra voluntatem obuenirę ſolent, aut ex ignoratione, aut vi quadã inferuntur. Ex ignoratione nobis cõtingunt furta, adulteria, veneficia, lenocinia, ſeruorũ ſeductiones, dolo & fraude perpetrata homicidia, falſorũ teſtium productiones, quæq́ his ſunt affinia. Per violentiam patimur vincula, mortes, raptus, verbera, oppreſſiones, mutilationes, contumelias atq́ conuicia. Siue igitur clandeſtina hæc mala ſint, ſiue vi illata, vbi deprehenſa fuerint, ab emendatrice iuſtitia corriguntur atquę emendantur. Sed meritò dubitat Epheſius quinto

Ethic. quomodo hæc omnia συναλλάγματα et commercia esse dicantur, aut quidnã is à quo furto quidpiam aufertur, pro ablato recipiat. Cùm enim ea cõmerciorum ratio esse videatur, vt res cum re commutetur, atq; alterũ pro altero recipiatur, quid, obsecro, is qui verbera, aut etiam mortem perpessus est, pro damno recipere dici potest? Fortasse, inquit, ob eam causam συναλλάγματα hæc appellãtur, quòd qui furatus est, pro furto interdum alia quædam restituit, interdũ aut flagellis cæditur, aut manibus auribúsue, aut oculis priuatur: qua in re esse & datio et acceptio quodãmodo videtur, in quibus cõmercandi contrahendiq; ratio consistit. Nam cùm surripuerit pecunias fur, aut quidpiam aliud, pro illis pœnam soluit. Simili modo qui adulterium cõmisit, vel pecunijs vel supplicio aliquo mulctatus, flagitiũ luit. Qui item veneno aliquem sustulit, par aliquod damnum etiam ipse perpetitur. Non aliter etiã qui seduxit seruum, vel necem alicuius dolosè molitus est, simili aliqua iactura scelus perpetratum compensat. An potius dicendum est, nomen συναλλάγματος non ita strictè accipiendum esse, vt nostri Iureconsulti vsurpare solent? sed potius id dicendum ex sententia Aristotelis, cùm res dominũ suum mutat: quæ notio omnibus suprascriptis casibus, siue vi, siue ignoratione contrahantur, accõmodari potest, & magis ad obli-

gationis

gationis seu cõmercij naturam pertinet: rectèq; græcus Aristot. interpres Ephesius ait, συναλλάγματα non ea solũmodo veteres appellare consueuisse, quæ spontè homines inter sese ex conuentione quadam agunt, verũetiam illa quæ legibus instituta sunt, mutuare & contrahere iubentib. et fortasse inde etiam factũ esse vt συναλλάγματα propriè appellarentur, id est, cõmutationes & compensationes, propterea quòd in aliorum consociationẽ non voluntaria & spontè suscepta, sed ex necessaria permutatione conciliata existant: neminem enim aut adulterium committere, conuentionẽ habita cum marito mulieris quam vitiat: aut sacrilegium facere, ex conuentione eius cuius sacra diripit: & quæ his sunt affinia.

Quemadmodũ ergo prior iustitiæ priuatæ species in proportionẽ seu cõparatione geometrica, ita hæc posterior in arithmetica, vt Aristoteli placet, atq; id quidẽ rectè, cernitur. Quid autẽ sit proportio quam ἀναλογίαν appellant, & quot eius species, breuiter, vt huius virtutis natura intelligatur, dicendum est. Est autem proportio, vt idem Aristot. inquit, rationum æqualitas, in quatuor terminis minimis consistens. Rationem mathematici λόγον vocant, quam Euclides lib. quinto Elementorũ geometricorum, dicit esse duarũ eiusdem generis magnitudinũ seu terminorum secundũ quantitatem, ad sese inuicẽ quan

dam habitudinē. Exempli gratia: linea bipedalis ad lineam quatuor pedum certo quodam modo affecta est: subdupla enim eius dicitur. Hæc igitur affectio seu habitudo quā ad se mutuò hæ duæ lineæ obtinēt, ratio dicitur: quæ autem eandem rationem habent, ἀνάλογα dicūtur: veluti quatuor ad duo, & sex ad tria: vt nimirum ἀναλογία nihil aliud sit, quàm rationum similitudo, seu, vt Aristot. earundem æqualitas. Ex quo id conficitur, vt quemadmodū ratio in duobus, ita comparatio seu proportio duabus rationibus, quatuorq́ ad minimū terminis consistat. Huius proportionis seu comparationis plura sunt genera, quæ si quis scire cupit, Nicomachi scriptoris græci, vel Pselli et Boëtij seu Iordani arithmeticas legat. Quod verò ad præsens institutum attinet, duæ tantùm sunt species cognitu nobis admodū necessariæ, geometrica & arithmetica: illa quidē vt iustitiæ distributiuæ, hæc verò vt cōmutatiuæ natura intelligatur. Atq; esse quidem arithmetica dicitur proportio, cùm terminorū, qui sese inuicem excedunt, differentia est eadem quantitate, qualitatę verò diuersa: veluti sex ad quatuor, & quatuor ad duo, arithmeticam habent proportionem, propterea quòd, quantum senarius quaternariū, binario nimirum, tantundem quaternarius binarium superet. Habent igitur hi numeri in differentijs excessuū quantitatē æqualem,

lem,

lem, qualitatem verò minimè: senarius enim ad quaternarium sesquialterã habet rationem, quippe cùm quatuor semel et dimidiũ eius, id est, duo, continent: quaternarius verò ad binarium constat ratione dupla, quia duo bis in quaternario reperiuntur. Arithmetica igitur ratio est, quæ vt in quantitate æqualitatem seruat, sic in qualitate inæqualitatẽ habet atque dissimilitudinem. Sed & hæc proportio rursus duplex est, altera continua, & altera disiuncta. Coniuncta proportio dicitur, vbi vnus & idem terminus, duobus extremis copulatus correspondet: id est, bis sumptus, præcedenti subiectus, & sequenti præpositus, duas rationes subit, veluti in superiori exemplo demonstratum fuit: quaternarius enim bis sumebatur, ac senarium quidem sequebatur, binarium autem præcedebat. Disiuncta proportio est, vbi nullus idem terminus, duorum uicem subit, sed omnes sunt separati, semelq; singuli accipiuntur: veluti cùm dicimus, quo octonarius senarium, hoc quaternarius excedit binariũ: hîc enim semel tam senarius quàm quaternarius sumitur. Atque hæc arithmetica dicitur proportio, quæ in iustitia cõmutatiua seu emendatiua maximè locum habet, vbi res rebus, ac lucra damnis cõferuntur, atque adeo cõmercia hominum inter se inæqualia, ad æqualitatis normam reuocantur. Nam vt rectè Aristot. lib. quinto de moribus in

quit, in arithmetica proportionę nō dignitas & comparatio personarū, sed quantitas damni & lucri & excessuū æstimatur, quæ iudices seu iustitia ad æqualitatem reducunt. Ideoq́ parum referre putat, probúsne vir malum, sua re fraudauerit aut læserit, nobilis an ignobilis furtum aut adulterium cōmiserit: quippe cùm in nulla lege ita scriptū sit, Qui nobilem aut principem virum contumelia affecerit, maiori pœna mulctetur, quàm qui improbū vel ignobilem: sed in vniuersum, si quis Principē læserit, decem minas soluat, aut patria exulet: nulla rationę habita, an nobilis vel ignobilis, probus uel improbus is qui læsit, inueniatur. Indeq́ fit vt parem personis legislator mulctam irroget, cùm apud eum personæ, quæ afficiunt & afficiuntur iniuria, habeantur æquales, solaq́ nocumenti ab eo differentia spectetur, ita quidē, vt si magna sit læsio, magnā etiam pœnam infligat: si parua, paruam. Quæ Aristotelis sententia non caret dubitatione. Etenim si legislatores non personarum, sed tantùm damni et lucri, simpliciterq́ excessuum rationem habent, cur obsecro grauius punitur is qui uirum magistratū gerentem percusserit, quàm qui ciuem? vel qui Principem, quàm plebeium? Eadem refert Aristot. lib. quinto de moribus, cap. quinto, vbi Pythagoreorū de iustitia (haud scio quàm rectè) opinionem multis argumentis reprehendit. Pythago-

thagorei enim ius ipsum simpliciter τὸ ἀντιπεπονθὸς, id est, retaliationem, vel, vt significãtius dicam, mutuam atq; reciprocam paßionem definiebant: quod Aristoteli non placet, cùm nullo modo id ius esse videatur, vt singuli eadem patiãtur quæ ipsi fecerint: verbi causa, vt dens euellatur ei qui dentem alteri excusserit, aut oculus eruatur ei, qui alterum oculo priuarit: habendum enim esse delectũ personarũ arbitratur, ita quidem, vt retaliatio ex dignitate atque conditione personarũ, vt antea dixi, æstimationem accipiat. Verũ hanc ego (vt Aristotelis pace dicam) Pythagoreorum descriptionis sententiam nunquam fuisse existimauerim: neque id voluisse exercitatißimæ mentis homines crediderim, vt eadem seu æqualia simpliciter subeunda alicui censerent, quæ fecisset ipse, sed secundũ tradendi quandam proportionem. Cuius rei coniecturam ex eo facio, quòd in tradendis rerum definitionib. plerunq; mathematicis vocibus, in quibus tanquam exemplaribus hæc inferiora contineri existimãbant, vterentur. Atq; idcirco τὸ ἀντιπεπονθὸς non simpliciter, & ita craßè, vt Aristoteli visum est, intelligo, pro reciproca nimirum & mutua paßione, sed pro tali comparatione, in qua inueniuntur vtrinq; & antecedentes & cõsequentes rationes: qua ratione etiam ἀντιπεπονθότα σχήματα, sexto geometricorũ Elementorum lib. Euclides de-

scripsit. Atq; hoc quidem pacto, si quis ipsorum definitionem accipiat, neq; reprehensioni subiacet, neq; aliqua correctione seu cōmendatione indiget. Vnde Aristot. non reuera, sed ad speciem (vt sic dixerim) vt sæpe aliàs ipsis cōtradicit: nisi fortè idipsum reprehendere dicamur, quòd non apertas & proprias, sed obscuras inuolutasq; atq; ænigmaticas, suo more, adferant rerum descriptiones: quod tamen ex Aristotelis verbis non ita facilè colligi potest. Est profectò hæc reprehendendi ratio valdè peculiaris Aristoteli, qui in recitandis dijudicandisq; veterum philosophorum, maximeq; præceptoris sui Platonis sententijs, solet esse liberior, quādoq; etiam iniquior. Hanc in Aristot. verbis contradictionem viderunt etiam interpretes, sed eam non satis explicant. Quidā enim Aristotelem, cùm in emendatiua iustitia nullā rationem personarum aut dignitatū haberi inquit, de eo quod vtplurimū euenire solet, locutū esse arbitrantur, & per accidens id fieri vt magistratus aut honoris aut dignitatis æstimatio fiat. Præterea de priuatis tantùm personis eum locum accipi debere: quippe si quis Principem aut alium senatorem læserit, non ita puniatur tanquam priuatam personam percusserit, sed quòd vim ipsi reipub. ac magistratui intulisse, nō autem personæ, intelligatur. Auerroës Arabs ideo grauius puniri arbitratus est, quòd talis iniuria quæ

prin-

principi infertur, ab intensiori (vt ipse loquitur) malitia proficiscatur. D. Thomas Aristotelem de pecuniario nocumento, non personali, locutū esse inquit: in contractibus enim qui merces tantū respiciunt, nulla personæ qualitas consideratur, sed lucri & damni excessus tantùm: veluti, idem frumentum non pluris venditur principi quàm plebeio. At in obligationibus personam spectantibus, vbi personæ læduntur, illarum quoq; dignitatis atque conditionis ratio seruari solet. Rectius quidem sentire videntur, qui omnem iniuriam dupliciter æstimari posse aiunt: aut vt reipub. interest, aut vt priuati alicuius, vel certè quatenus quis est priuatus. Quatenus ergo reipub. interest, ad iustitiam referri distributiuam, & secundum hanc, pœnam cōstitui. Si enim in benefactis in rempub. compensandis ipsi locus est, vtiq; & in malefactis in eandem puniendis, hac vtendum est. Contrariorū enim eadem ratio esse videtur: & alioquin vtraq; ex parte illata quædam conspiciuntur. Vt verò hominis priuati, vel certè quatenus priuatus, ad emendatiuam seu cōmutatiuam iustitiam pertinere existimant. Quæ quidem solutiones omnes, mihi (vt ingenuè fatear) non satisfaciunt, tum quia Aristotelis verba inter se repugnantia non conciliant, tum quia nostrorum Iureconsultorū placitis repugnant. Quis enim ignorat, non tantùm eas personarū diffe-

rentias spectari quas modò recensui, sed etiã, an nobilis sit aliquis, an ignobilis, seruus an liber, pater vel extraneus: et in cæteris earum discriminibus eodem modo. Ideoq; rectè Vlpianus in l. moris. §. pœn. ff. de pœn. discrimina esse pœnarum inquit, neq; omnes eadem pœna affici posse: nam in primis decuriones in metallum damnari nõ posse, nec in opus metalli, nec furcæ subijci, vel viuos exuri. parentes quoq; & liberos decurionum in eadem causa esse. Et Macer in l. sequenti, in seruorũ persona ita obseruari, vt exemplo humiliorũ puniantur. Ex quibus enim causis liber fustibus cæditur, ex ijs seruus flagellis cædi, & domino reddi iubetur. Et ex quibus liber fustibus cæsus in opus publicum damnatur, ex ijs seruus sub pœna vinculorũ ad eius temporis spacium flagellis cæsus domino reddi iubetur. Idem rescripsit, quædam delicta pagano aut nullam aut leuiorem pœnam irrogare, militi verò grauiorem. Nam si miles artem ludicram fecerit, vel in seruitutẽ se venire passus sit, capite puniendum Menander scribit. Atq; Callistratus in l. Capitalium. §. & vt generaliter. eod. omnia admissa in patronum, patronúue filium, patrem, propinquum, maritum, vxorem, cæterasq; necessitudines, grauius uindicãda esse ait, quàm in extraneos. Multoq; præclarius Claudius Saturninus in l. aut facta. eod. dicta, scripta, facta atq; cõsilia, quæ iniurias continent,

tinent, septem modis considerāda semper iubet: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu: atq; personam quidem considerandā esse non tantùm eius qui fecit, sed & eius qui passus est: aliter enim puniri ex iisdem facinoribus seruos quàm liberos: & aliter quicquid in dominum parentémue ausus est, quàm in extraneū: in magistratum, quàm in priuatū. Ex quibus facilè perspici potest, non tantùm in hac iustitiæ parte quantitatis delicti aut noxæ, sed & personarū cæterarumq; circūstantiarum quæ enumeratæ iam sunt, rationē haberi oportere. Atq; hæc quidem vera sunt omnia in iis contractibus seu obligationibus ferè omnibus, quæ personas respiciunt, & contra voluntatem, aut vi, aut exigua ratione nobis obueniunt, in quibus pœnæ & supplicia locum habent: in his enim non tam iustitia emendatiua, quæ primò quidem ac per se, quàm distributiua, sed ex accidenti cernitur, propterea quòd omniū circunstantiarū ratio haberi solet, quæ vel delictum aggrauant, vel mitigant. At in iis quæ voluntate nostra fiunt, ut in venditione, emptione, locatione, conductione, ac simpliciter in propriè dictis contractib. vbi res vel inter se, aut nummo permutantur, in iis propriè iustitia cōmutatiua seu emendatiua vsurpatur, quæ excessum & defectū, damnum & lucrum ad quandam æqualitatem citra respectum persona-

rum redigit. Quod ad Aristot. loca suprascripta attinet, dicendũ est, apud veteres olim, anteq̃ nostrorũ Iureconsultorũ cõstitutiones, vt in emptione, venditione, locatione & cõductionẽ, nullũ habitum fuisse personarũ discrimen, est probabile: ita etiã nihil inter pulsationẽ nobilis aut ignobilis, serui aut liberi interfuisse, esse credibile. Quòd autẽ is qui senatorẽ percussisset, grauiori pœna mulctatus sit, nil mirũ est, cùm nõ priuatæ personæ, sed reipub. toti illata esse iniuria videatur. Sed vt ad id reuertamur vnde digressi sumus, dicimus hanc emendatiuã iustitiam propriè in arithmetica cõparatione spectari, in qua Iudicis partes sunt, inæqualitatẽ ad æqualitatem reducere, cùm scilicet ab eo qui plus æquo ab altero accepit, mulcta inflicta lucrũ aufert, illiq̃ qui damnũ passus est adiungit. Atq; nomen quidẽ damni & lucri, quãdoq; impropriè vsurpatur: vt in eo qui noxam aut damnum vulnere vel morte dedit, lucrum accepisse dicitur: qui eadem passus est, damnũ. Et simpliciter plus boni et minus mali, Aristot. lucrum, & vice versa, damnum appellat. Inter hæc ergo duo tanquã extrema, medium est ius correctiuum & emendatiuum, quod excessus ac defectus corrigit, & ad æqualitatem reuocat. Cuius rei indiciũ esse potest, quòd cùm de hoc iure ambigitur, & inter partes de æquitate litigatur, ad iudicẽ itur. Ad iudicẽ autẽ ire nihil aliud


est,

est, quàm ad ius & ad iustũ ire: esse enim iudex animatũ ius videtur, vt græcè ius δίκαιον, et δικαστὴς iudex dicitur. Perinde quoq; res se habet atq; in arte medica. Vt enim in animo medici absolutæ perfectæq; sanitatis notio, amussis quædã et norma est, ad quã, quæ à mediocritatẽ recesserunt corpora examinantur atq; corriguntur: ita & in animo iudicis rectæ rationes & notitiæ regula sunt quædã, qua iniusta exploramus, et id quod plus vel minus æquo est, deprehendimus: fitq; vt qui absolutiores huiusmodi notitias menti infixas habeãt, simulq; uiri probi sint, ad eos magis cõfugiatur, tanquã verè medij sint, nec in hanc neq; in illã partem declinantes. Et Aristot. hinc iudices μεσιδίκους appellatos ait, quasi medijurios, à medio & iure cõposito vocabulo: quoniã qui mediũ consequi potuerunt, ij ius rectè distribuisse videntur: ideoq; & δίκαιον quasi δίχαιον, hoc est, bipartitum dicitur, et iudex δικαστὴς, quasi διχαστὴς, hoc est, bipartiẽs. Quomodo autem iustũ hoc mediũ sit inter excessum & defectũ, itemq; qua rationẽ in arithmetica proportionẽ consistat, exemplo à numeris continuis sumpto ostendamus. Sumãtur tres senarij, hoc modo, 6 6 6. Primus is sit qui iniuriã est illaturus, vel plus sibi vsurpaturus: ultimus is qui iniuria est afficiendus, atq; pluris vsurpationẽ diminuendus: medius uerò iudex, ad quẽ contendentes il-

lata iniuria sunt accessuri. Primus igitur senarius, hoc est, iniuriã inferẽs, tria ab ultimo iniuria nimirũ afficiendo auferat, sibiq; usurpet, ita ut nonarius efficiatur: alter verò à quo detractio facta, ternarius. Qui igitur sibi tribus arrogatis nonarius fuerit effectus, senariũ, qui est iudex, uno ternione excedet: iniuria uerò affectus, duobus. Nam si tria ab ultimo senario demãtur, neq; adiungantur primo, una tantũ parte, id est, uno terniong, ut & iudex, ultimũ superabit: si verò adiungatur, duabus, ita quidẽ ut additiong facta, eodem modo se habiturus sit nouenarius, hoc est, pluris usurpator, ad senarium, hoc est, ipsum iudicem, quemadmodũ senarius idem iudex ad ternarium, hoc est, iniuria affectum, hoc modo:

Iniuria affecturus	Iudex	Iniuria afficiendus
6	6	6
Iniuria afficiens	Iudex	Iniuria affectus
9	6	3

Excedit



Excedi-tur

Excedit duabus partibus

6	6	3
Si non adiungatur	Excedit una parte	

Ex hoc

Ex hoc ergo medio quod in comparatione arithmetica consistit, facilè colligere possumus, quomodo excessus ad æqualitatem sint reducendi, & quid demendum primo termino sit, & tertio adiungendũ. Quanto enim medius terminus, id est, senarius superat ternariũ, qui est vltimus & iniuria affectus, tantum vltimo quoq; addendum est: medius autem, vt dictum est, superat vltimum tribus: additis ergo tribus ternario, senarium efficiemus, medioq́; ita æquabimus, qui & ipse senarius est. Rursus, quanto primus, id est, nouenarius excedit medium, excedit autem tribus, tantum, id est, tria, de primo detrahendum est, atque tertio adiungendum, vt æqualis medio euadat, & senarius etiam ipse fiat. Sic ergo vterque numerus vltimus & primus æquales efficiuntur, propter medium, cui vterque æqualis est. Ex quo perspicuè apparet, ius ipsum emendatiuum, & æquum, atq; etiam iudicem, medij vicem obtinere, regulamq́; etiam ac mensuram esse, qua quantũ iniuriam facienti demendum, iniuriaq́; affecto addendum, vt æquales euadant, cognoscere optimè valemus. Atq; hæc quidem de ea iustitiæ priuatæ parte, quæ emendatiua seu correctiua & cõmutatiua appellatur, et in comparatione arithmetica spectatur, dixisse sufficiat. *Altera iustitiæ priuatæ seu particularis pars, vt antea dixi, distributiua dicitur, quæ*

nihil aliud est, quàm ordinatio in omni vita publica & priuata, iuxta proportionem geometricam, videlicet qua gradus officiorũ & personarũ constituuntur, & idoneis aptæ functiones tribuuntur. Geometrica verò proportio dicitur, cùm excessuũ ratio seu qualitas, non quantitas, eadem est: vel cùm tres aut plures termini ita collocãtur, vt sicut primus ad medium aut sequentẽ, ita medius aut succedens ad vltimum in qualitate seu rationę respondeat. verbi gratia: ponãtur tres termini, 9. 6. 4. In his quam rationem primus, id est, nouem, ad succedentẽ, senarium nimirum habet, eandem medius, id est, sex, ad vltimum quaternarium: vtrobiq; enim sesquialtera est proportio, & ratio quidem eadem est, quantitas autem qua alter alterum excedit, diuersa: inter nouem enim & sex, tria: inter sex verò & quatuor, duo intercedunt. Est autẽ & hæc proportio duplex, cõtinua & disiuncta. Continua est, vbi tres tantùm sunt termini, vnus autẽ & medius bis & pro duobus sumitur, vt in collationę antecedat et sequatur, hoc est, vt in priori comes sit, & in altera dux. Huius exemplum nuper attuli. Disiuncta seu discreta proportio est, vbi quatuor termini diuersi habentur, neque vllus bis repetitur: verbi causa, sint 6. 3. 4. 2. In his conspicitur prorportio disiuncta: vt enim se habet senarius ad ternariũ, ita quaternarius

adbi-

ad binariũ, vtrobiq; enim est ratio dupla, etsi quanti tas excessuũ vtroq; loco sit diuersa. In hac ergo com paratione & iustitia habetur ratio dignitatis & me riti personarum, conferunturq́; personæ personis, & res rebus. Nam si personæ sint eiusdem ac paris digni tatis, necessariò quoq; seruabitur distribuendarũ re- rum, honoris puta aut pecuniarũ, æqualitas, ita qui- dem, vt id quod vtriq; dabitur, nulla ex parte quan titate qualitatéue alterius præmium excedat, exce- datúrue: quæ certè æqualitas inter ciues, aut nun- quam, aut certè perquàm raro in repub. inuenitur. Cùm enim fieri nequeat ut officia, res gestæ, consilia, itemq́; personæ, ipsæq; adeò dignitates & honores at que præmia, non tantùm quantitate, vt sic dixerim, sed & qualitate ac virtute sint inæqualia, in ijs pro- fectò comparatione opus est, vt æqualitas respectu personarum atq; rerum, non quantitatis, sed qualita tis ac rationis, seruari poßit. Verbi gratia, sumantur quatuor termini, sit prmus Achilles, Aiax secun- dus, statuaturq́; Achilles duplo dignior esse quàm Aiax: sit præterea tertius nũmi octo, quartus num- mi quatuor: sicut igitur Achilles ad Aiacem se ha- bet, ita etiam se habent octo ad quatuor. Et quia A- chilles duplo est dignior Aiace, munus quoq; Achil lis duplo debet esse dignius munerę Aiacis. quæ ra- tio dicitur alterna, vbi antecedens cum anteceden-

te, quaſi ſubſequẽte, et ſubſequens quaſi antecedens, cum ſubſequente cõnectitur. Itaq; ius huiuſmodi inter quatuor minimum intercedit, quæ analogia geometrica vocatur, in qua contingit totum ad totum ita ſe habere, vt vtrunq; ad vtrunq;, hoc eſt, vtrunque ad alterum. Semperq; id ſpectatur, vt æqualibus æqualia, inæqualibus ſecundũ comparationem inæqualia quoq; tribuantur. Nam ſi econtrariò in repub. fieret, vt æqualibus inæqualia, & inæqualibus ſine proportionẽ æqualia darentur, profectò eueniret id quod Ariſtoteles ſcribit, pugnæ nimirum, conuicia atq; ſeditiones, quæ ciuitatem corrumpunt & euertunt: quod ne fiat, in omni vita priuata & publica, gradus negociorum & ingeniorum intelligere debemus, & in quolibet peculiarem virtutem animaduertere, conſiderarẽ merita, ingenia, mores aliorum, vt ſuo quenq; gradu & loco collocemus. Rectéq; Plato feciſſe videtur, qui in lib. de repub. alios quidem, quos animoſiores natura ac robuſtiores animaduertiſſet, ad cuſtodiã ciuitatis & ad bella: quos prudentiores & ingenioſiores, ad ſenatum: quos laborioſiores, ad agriculturam deſtinauit. atq; ſapientiſsimè inter cætera dixit, optimum reipub. ſtatum eſſe conſtitutũ geometrica proportione, additq; hanc Dei potius beneficio, quàm hominũ, in repub. inueniri. Ex his duabus iuſtitiæ priuatæ partib. facilè totius

tius

tius natura colligi potest: quã tali descriptionẽ liceat nobis depingerẽ, ut nihil aliud sit hæc virtus, quàm πρὸς ἕτερον ἀρετὴ ἰσότητος περὶ τὰ τυχηρὰ στοχαστική. *id est, virtus ad alterum circa fortunæ bona æqualitatem consectans. Ex qua duo colligi possunt. Primum est, quod in societate hominũ inter sese: alterum, quod propriè in fortunæ bonis, utpute honoribus dignitatibúsue, pecuniarũ atq; rerum commercijs utplurimum versetur. Sed de particulari ac priuata iustitia fortasse plura quàm præsens institutum postulabat, disseruimus: sequitur ut de altera illa, quam uniuersalem appellant, nõnihil dicàmus. Est autem iustitia uniuersalis, non ea quidem quæ in debita & æquali honorum vel præmiorũ distributione, aut etiam contractuum & cõmerciorum æqualitate atque fide spectatur, sed quæ omnis virtutis est quoddam receptaculũ, cuiusq; singulæ aliæ virtutes, quemadmodũ et priores illæ, sunt partes: quam Aristoteles dominam virtutum omnium, & reginam appellat, quòd ex ea boni viri absolutè simpliciterq; nominentur: de qua Theognis:*

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι. *quod est:*
Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Hæc autem iustitia rursus duplex est, altera absoluta, & altera relata, quæ quòd in societate & repub. spectetur, politica appellatur. Absoluta iustitia dici-

tur omnium animæ virtutum comprehensio, & totius animæ quædam rectitudo. Vt enim sanitatem quandam & singularum corporis partium, & totius animalis, quæ à priori diuersa sit, ita & singulas animæ partes seu vires, proprias obtinere virtutes, & totius quandam esse absolutionem, quæ cæteras partium perfectiones & contineat & sequatur, vndeq; & sani & viri boni simpliciter dicatur, esse necesse est. Quo in loco meritò quis interroget: Cùm totum nihil aliud sit, quàm partes omnes simul collectæ, quomodo totius alia virtus, extra virtutũ partium comprehensionem constituatur? satisq; esse, vt in quo reliquæ virtutes insint, is & iustus habeatur. Cui dicendum est, totum aliud quiddam ratione esse, quàm suæ simul acceptæ partes, etsi partiũ simul acceptarum affectiones, totius perfectio consequatur. Exemplo nobis esse possunt res artificiosæ: domus enim totum quid est, cuius partes sunt, ligna, lapides, calx, ferramenta, & quæcunq; tandem ad eius structuram desiderãtur. Verùm vt hæc omnia in promptu sint, recteq; affecta sint singula, non quomodocunq; tamen cõpacta et conglutinata domus erunt, sed certa insuper requiritur compositionis ratio, quæ ad vsum & custodiam huius vitæ sit accommodata. Eadem mea quidem sententia de anima licet pronunciare, quæ totũ quid est, huiusq; illæ sunt partes

quas

quas ſuperius cõmemorauimus, vis nimirum intelligendi, iraſcendi atque concupiſcendi: quæ certè non quacunq; inter ſe cõnexæ & compoſitæ ratione animam conſtituent, ſed certo quodã modo, ipſiusq; naturæ maximè conuenienti. Cùm ergo anima præter ſuas partes diuerſum quid ſit, nil mirum ſi vt ſingularum partium, ita totius quædam perfectio, quæ reliquas ſuperiorũ conſequatur, & ab illis diuerſa ſit, ſtatuatur. Hanc ergo totius animæ perfectionem, quam iuſtitiam vocant, Thrages ſic definiuit: σύνταγμά τι τᾶς ἁρμογᾶς τῶν μορέων τᾶς ψυχᾶς, καὶ ἀρετὰ τελέα καὶ παννυπερτάτα. id eſt, coniunctionem concentus animæ partium & virtutem perfectam atq; ſupremam. Ea enim eſt conſociatio quædam, in qua debitum ſingulis partibus tribuitur, ita vt inferiores obtemperent ſuperioribus, et ignobiliores nobilioribus. Hanc deſcriptionem huiusq; virtutis vim aptiſsimè explicaſſe videtur Platò in quarto lib. de repub. quẽ imitatus eſt Ariſtot. quinto Ethic. his verbis: Cæterũ reuera huiuſmodi certè quid (etiã videtur) iuſtitia eſt, ſed non externa actionę conſiſtens, ſed interna, & reuera in ipſo animo, quæq; ad ipſum pertinent, vnamquanq; ſui partem aliena negocia agerę non permittentem, neq; quæ in animo ſunt genera ſeu vires, curioſitatę ſibi mutuò moleſta eſſe, ſed re ipſa, ſua rectè cõponentem, & ſibiipſi im-

perantem, & se moderantem, ac sibi amicum redditum, coniungentemq́; & coagmentantem hæc genera, quæ tria sunt, tanquã harmoniæ tres terminos sedulò, netes, hypates, & meses, & si quæ alia inter hæc intermedia sunt, omnia hæc connectentem, & prorsus ex multis vnum affectũ, modestum & compositum, sic iam ad agendum accedere, si quid agendum sit, aut in comparandis opibus, aut curando corpore, aut etiam publicis negocijs, aut priuatis commercijs, in omnibus his existimantem ac nominantem iustam quidem & honestã actionem, quæ hunc habitum conseruet, simulq́; efficiat: sapientiã autem eam, quæ huic actioni præsit, scientiam. Ex quibus Platonis verbis facilè huius virtutis uis ac natura cognosci potest: ea enim fit, vt quælibet animæ pars in proprium opus intenta, aliena & ad ipsam minimè pertinentia negligat, itaq́; cũcta gerãtur, vt hæc quidem imperent & præscribant facienda, aut vetent non facienda, illæ verò libenter & modestè superioribus pareant: ex qua administratione non secus ac in cantu harmonia, sic in anima tranquillitas et concordia oritur, quæ iustitia appellatur. In cantu enim fides singulæ proprium ædunt sonum: ex quarum inter se mutua cõtemperatione symphonia & harmonia nascitur, vnusq́; ex multis veluti contemperatus sonus, qui moderatione et æquabilitate grauium,

acuta-

acutarum & mediarũ permixtus, aures mira suaui tate perfundit, & animũ delectatione afficit. Quam harmoniã Plato per ὑπάτην, μέσην, & νήτην signi ficauit. Hypate enim est infima & grauissima vox, quæ quia certa est, regit cæteras, & veluti basis, vn de & nomen accepit, cæteras sustinet. Sic rationis iu dicium certũ est, regitq́ inferiores animæ vires. Nete est suprema & acuta vox, quæ paret, et significat ap petitiones voluptatũ in cibo & potu: quæ cum lon gissime à rationẽ absint, eidem minus obtemperant. Deinde inter has sunt μέσαι φωναὶ, quæ sua medio critate tum parent tum imperãt, grauioribus paren tes, acutioribus imperantes, et significant appetitio nes cordis, eamq́ animæ vim quæ θυμοειδὴς, id est, animosa appellatur, qua ratio inferiores illos motus compescit. Cùm ergo ratio sua virtute, prudentia ni mirũ, inferioribus duabus uiribus imperet, appetitus verò seu pars concupiscendi sua temperantia atque modestia rationi vtilia dictanti & præcipienti pa ret: animosa deniq́ altera sua virtutẽ, modestia ni mirum, quam σωφροσύνην appellãt, rationi obtem perat: altera verò, quæ fortitudo est, cupidineam re git ac moderatur, quidam quasi concentus & har monia in anima oritur, in qua multæ quidem par tes & perfectiones, in vnam vltimã ac supremam compositionem ac perfectionẽ, multæq́ adeò actio-

nes in vnam perfectißimā atq; optimam & iustißimam actionem conspirant atq; coalescunt: atque sic homo totus compositus, modestus & iustus redditur. Hæc ergo est breuis & succincta descriptio iustitiæ vniuersalis, quam absolutam, quòd animæ tantùm vires moderetur, neq; quidpiam aliud propositum habeat, appellaui. Eadem iustitia quatenus ad alium refertur, hoc est, quatenus societatis in consuetudine hominum vinculum est, ac omnibus reipub. partibus, vt in anima viribus, debitū suum reddit, politica iustitia, seu legitima & vniuersalis quoque appellatur. Politica, quòd ciuilem administrationem sua actionē cōseruet: legitima, quòd legibus obtemperet: vniuersalis, quòd omnia officiorum genera comprehendat. Leges enim cùm non de fortunæ tantùm bonis, in quibus rerum commutatio & contractus versantur, sed de omnibus virtutum actionibus, ad societatis humanæ conseruationem vtilibus ac necessarijs præcipiant, fit vt & obedientia erga leges omnium virtutū officia complectatur, quæ obedientia propriè iustitia dicitur. Neque tamen (vt rectè Aristoteles admonuit) à priori re & subiecto, sed rationē tantū differt: quatenus enim animæ habitus est, ipsiusq; partium concordia ac virtutum omnium complementum & receptaculum, eatenus iustitia absoluta: quatenus verò ad societatis ciuilis salutem

lutem

lutem dirigitur, atq; ad exteriorẽ vitæ vsum accommodatur, politica dicitur: ac perinde se res habet, quemadmodũ in intellectu contemplatiuo & actiuo, qui cùm substantia & natura vnum sint, actione tamen & vsu differunt: nam cùm ea quæ semper eodem modo sunt, & æterna nuncupantur, contemplatur, contemplatiuus: cùm ea quæ in actionem cadunt, & aliter atq; aliter euenire possunt, considerat, & quo pacto commodè fieri poßint, deliberat, actiuus nuncupatur. Quanquã verò natura & substantia vtriusq; iustitiæ eadem sit, ratione autem (vt nuper dixi) inter se differant, aliæ tamen & non leues earũ præterea reperiuntur differentiæ: hæc enim posterior & politica, videtur esse perfectior absoluta. Quod vt intelligatur, sciendũ est, perfectam virtutem tribus modis accipi posse: aut enim dicitur perfecta, quia ipsi vt sit et existat, nihil deest: qua ratione fortitudo, quæ recta ratione adhibita, maxima pericula in bellis sustinet, vt & cæteræ omnes virtutes perfectæ dici possunt. Perfecta quoq; dicitur esse virtus, quæ omnia alia in se complectitur: qua significatione absoluta iustitia vniuersalis perfecta nuncupatur, quæ omnes virtutes in se continet, suoq; ambitu comprehendit. Tertio modo dicitur virtus perfecta, non tantùm ea quæ ad summũ est perducta, & reliquas virtutes cõtinet, sed quæ perfectißimi est vsus,

hoc est, cuius operatio & actio est hominum generi vtilissima: perinde vt medicum aut Iureconsultum perfectũ eum appellamus, non qui artis tantũ theoremata exquisitè perdidicit, sed qui artem dextrè exercere, & ad vsum vtilitatemq; vitæ præcepta deducere potest. Hac ergo significatione virtus politica dicitur esse perfectissima, quòd qui ea præditus sit, non tantùm secum, sed cum alijs etiam virtute vti rectè ac iustè, et ad reipub. ac societatis humanæ conseruationem eam accõmodare possit. Et quia ad alterũ spectat hæc virtus, ad constituendamq; & conseruandam ciuilem administrationem adhibetur, ab Aristotele omnium virtutum præstantissima, optima, pulcherrima atq; difficillima appellatur. Præstantissima quidem, quòd ex alijs omnibus perfectè constituta: optima, quòd eius usus sit vberrimus et quamlatissimè patens: pulcherrima, quòd Veneræ seu Lucifero stella splendidissima, sit, propter dignitatis eminentiam, maioria dmiratione digna & veneranda. Denique dicitur esse difficillima, propter vsum & actiones iustitiæ, quæ longa experientia, ac multorũ & variorum negociorũ tractatione, ut rectè obeantur, indigent. Vnde etiã plerunq; fieri solet, vt multi quidem priuatis in rebus atq; domi, animi sui mores formare, interdũ etiam cum vxore ac liberis alijsq; domesticis virtute vti possint: ad rempub. verò vel

ad offi-

ad officia publica vocati, id propter rerum, negociorum & comerciorum imperitiam, non possint. Ex quo intelligi potest, longè difficiliorem esse in societate quàm apud se, virtutis usum. Quam quidem rem & Biantis illud dictum comprobare videtur, quod Laërtius Pittaco adscribit, qui magistratum, uirum prodere dixit. Qui enim magistratum gerit, vel princeps est, non sui, sed aliorũ curam gerit, et in reipub. administratione ac societatis curam, quæ longè difficillima est, incumbit. Quia ergo hæc iustitia ad alterũ refertur, ob id alienum bonum sola (vt Aristoteles inquit) neq; eius qui ea præditus est, esse videtur, atque omnino eorum, ad quorum usus vtilitatesq; dirigitur: ut, si in principe inueniatur, regni: si in optimatibus vel populo, reipub. vtilitatem respiciat. Huius virtutis præstantiã ac dignitatem cùm animaduertissent veteres, eam matrem ac nutricem uirtutum, ex qua non tantùm omnes gignerentur, sed etiam genitæ custodirentur, appellare cõsueuerunt. Vnde Polus Pythagoricus Lucanus sic loquitur: Iustitia inter homines videtur mihi mater & nutrix cæterarum virtutum appellanda: nam sine illa neq; temperantem, neq; fortem, neq; prudentẽ esse quenquam constat. Est enim harmonia & concordia totius animæ cum concinnitatẽ. Fiet autem eius vtilitas euidentior, si alios habitus cõsiderauerimus, vtpote qui

particularem solùm sui usum, & ad vnum quempiam præbeant, iustitia verò vtilitatem in multitudinem, & vniuersas rerum comprehensiones præstat: siquidem in mundo principatum omnem obtinens, prouidentia vocatur, & harmonia, & constitutio generis cuiusdam deorum, qui ipsam ita disposuerunt. In ciuitate autem, pax et æquitas meritò nominatur. In domo autem hæc est viri & uxoris concordia mutua. Itèm famulorum in heros beneuolentia. Dominorum autem erga famulos benigna curatio. In corpore, sanitas & perfectio membrorũ. Cæterùm in anima est sapientia, quæ per scientiam & iustitiam hominibus comparatur. Cùm igitur hæc virtus totum simul ac partes singulas ita moderetur, & in concordia conseruet, quomodo non mater & nutrix tum virtutum, tum rerum omnium communi iudicio dici deberet? Possem proferre multa antiquissimorum scriptorum præclarissima huius virtutis encomia, quibus eius nobilitatem, dignitatem ac præstantiam præ cæteris celebrare nunquam desierunt, nisi res esset manifestior, & per se satis nota. Illud potius videndum est, quæ huius virtutis sit tradita ab iisdem descriptio, vt cognita ipsius natura, quisnam Iureconsulti ac legislatoris scopus statuendus sit, intelligatur. Sed opportunè hoc loco sese nobis offert non leuis, verùm vtilis & ad propositum

nostrum

nostrum accommodata quæstio, quæ ex superiori iustitiæ descriptione nascitur. Cùm enim sæpenumero dictum sit, Iustitiam vniuersalem esse omnium virtutum perfectissimã, quòd reliquas omnes (vt Theognis inquit) in se complectatur, meritò ambigitur, qualis sit complexus et comprehensio, generis ne, an totius. Videtur autem hæc res esse dubia ac cõtrouersa: neq; enim genus cæterarum virtutum iustitia esse videtur, propterea quòd generis nomen ac definitio omnibus speciebus vniuocè, hoc est, secundũ naturam attribuitur: at iustitiæ vniuersalis nomen, nõ ita propriè de aliqua virtute particulari, utputa fortitudine aut prudentia, aut alia quauis enunciaueris, multoq; minus eiusdem definitionẽ his attribueris: quippe cùm multi fortes esse possint, iusti tamen minimè idcirco inueniantur. Adde quòd perfectissima virtute esset aliqua perfectior: si enim iustitia vniuersalis est perfectissima, cuius definitio attribuitur fortitudini, aut alteri virtuti, quæ ab eadem est diuersa, certè & fortitudo vel alia quæuis erit perfectissima: & sic dabitur perfectius perfecto, idemq; erit perfectum & imperfectũ, sibiq; contrarium & repugnans, quod fieri non potest. Præterea ablata specie alicuius generis, non aufertur propterea genus: ueluti ablato boue, vel leonẽ, nihilominus manet natura animalis, quæ in hominẽ, cæterisq; seruari potest

speciebus: at ablata una virtute, iustitia quoque auferetur. Cùm enim virtutes sese sequantur, vt ab Aristotele in lib. de moribus ostenditur, atque altera sine altera haberi perfectè non possit, fit ut vna alteram & constituat & perimat: aut si non sese sequantur, prudentia tamen ablata reliquæ peribunt, & iustitia & virtus auferetur: natura enim omnium virtutum in recta ratione cernitur: recta autem ratio nihil aliud est, quàm ipsa prudentia. Quòd si quis dicat, iustitiæ vniuersalis nomen de particulari quoque dici, ac propterea genus esse posse, is non animaduertit ὁμωνύμως & æquiuocè id fieri, non autem vniuocè, quod proprium generis est. Iam verò neque totum quiddam iustitia & virtus esse videtur, quia eius duplex habetur ratio: aliud enim est totũ, quod similium, aliud quod dissimilium partium appellatur. Similes partes illæ dicũtur, quæ & totius nomen & descriptionẽ sibi vendicant: ut caro: carnis enim partes, & caro sunt & dicuntur: sic ossis ossa, quæque his affinia sunt & cognata. Dissimiles partes dicuntur, quæ & nomen & descriptionẽ diuersam à suo toto obtinent: veluti manus & pes dicuntur partes dissimiles ipsius corporis seu hominis: rursusque caro & neruus, pedis vel capitis: neque enim caro caput aut pes dicitur, quemadmodũ neque neruus. Virtutes ergo partes iustitiæ similes esse non possunt, quia tum nomine

nomine tum descriptione non solũ à suo toto, sed etiã inter se differunt. neq; dißimiles, quia altera ab altera dependêre, neque totum absentẽ harum vlla amplius constare posse cernitur, quod ex sententia Aristotelis sexto Ethic. cap. vlt. nuper dictum est. Quòd si quis neque partes totius, neq; species generis, neque etiam voces multiplicis dictionis esse contendat, sed ambigentis naturæ inter genera ac voces homonymas, eius videlicet quæ ab uno & ad vnum dicuntur, cuius rationis et decem prædicamenta sunt, quæ Entia appellantur, & ipsa anima, quæ de rationali & vegetatiua hoc modo enunciatur, is in alias multoq; plures incidat necesse est difficultates. Nam in his quæ ab vno & ad unum dicuntur, prius & posterius inuenitur: vtputa substantia prior est acciden te: at in virtutibus res aliter se habet, vbi altera prior altera non est, sed simul omnes: adde quòd sublato vno, alterum in illis non aufertur, vt ablato acciden te, nõ tollitur Ens aut substantia: sed sublata vna virtute, tollitur etiam tota, & singulæ eius partes, cùm sola harum nulla per se neq; haberi neq; cogitari posSit, sed necessariũ sit, vt qui prudentiam adeptus est, cæteras quoq; adipiscatur. Quòd si virtutes, species, uel partes iustitiæ non sunt, efficitur vt neq; iustitia ut totum in partibus, aut ut genus in speciebus reperiatur, multoq; minus in earum descriptione aut de-

finitione. Sed neq; in iustitia sunt, vt forma in materia: quia forma est perfectior materia: at iustitia est perfectior virtutibus. Neq; etiam sunt in iustitia tanquam in fine: quia iustitia nõ est finis virtutũ: uirtutes enim per se expetũtur, & sunt per se fines: at quæ ad finem referuntur, ob aliud expetuntur. Nullo denique eorum quæ in aliquo esse dicuntur modo, in iustitia cõtineri videntur: ut ex his quæ iam dicta sunt facilè appareat, quàm non leue sit huius difficultatis nodum dissoluere. His tamen non obstantibus, dicendum arbitror, virtutes omnes, in iustitia & uirtutẽ simpliciter, tanquam partes similes in suo toto contineri: virtutes enim omnes similes inter se sunt & cognatæ, quia reguntur ratione recta, quæ nunquã abesse potest, sed eas ita coniungit, ut qui unam earum perfectè adeptus sit, omnes alias possiderẽ deprehendatur: qui autem omnes habet, is quãdoq; secundum temperantiam, quandoq; secundũ fortitudinem, ex eodem habitu agerẽ dicitur, cùm in ijs in quibus temperantiæ aut fortitudini locus est, pariter omnibus agat. Eodem enim modo se habet in uirtutibus animiq; habitibus, atq; in naturæ rebus: ut enim ex uarijs ac diuersis ad mixtionẽ coëuntibus humoribus, unum tamen similarium partium totum, utputa caro aut os, generatur, ita cùm uirtutes subiectis in quibus sunt, et obiectis in quibus uersantur, inter se differant,

ferant, vnum tamen totum similium partium constituunt: quod propter diuersitatem earum rerum quas tractat, diuersa quoq; nomina sortitur, ac nunc quidem fortitudo, si in bello labores ac pericula sustineat: si in cibo & potu moderatè se gerat, temperantia: si in contractibus æqualitatem seruet, iustitia appellatur. Vnde fit, ut quemadmodum uirtutis, ita & iustitiæ nomen omnibus tribuatur. Huic nostræ sententiæ adstipulari videtur Zeno, qui iustitiã non malè definiuit, esse prudentiam in suum tribuendo cuique, in accipiendo temperantiam, in perpetiendo fortitudinem: qua definitionẽ omnes virtutes uni iustitiæ contribuit. Zenonem sequitur Menedemus Eretriensis, teste Plutarcho, qui negabat plus una virtute esse, sed eam diuersis quandoq; nominibus appellari: ut vestis & penula, ensis & gladius, eiusdem rei sunt nomina. Quæ virtus aut non potest vno nomine, aut debet appellari iustitia: ea enim iubet vt legibus obtemperemus. Leges autem viro forti, modesto, liberali & prudenti, vt Aristoteles ait, præscribunt quid facere debeat: neq; ulla est honestatis pars, quæ earũ ui & præceptis non comprehendatur. Iam verò si omne honestum legitimum dicitur, & legitimum quoq; est iustum: neque ulla virtus quæ nõ iusta sit, siue in cõmercijs, siue alijs vitæ actionibus cernatur, deprehendi poterit. Quòd si cui hæc nostra de

iustitiæ partium natura durior videbitur esse senten tia, is mediam viam eligat, ipsumq́ totũ, partim simi lium, partim dissimilium partium statuat: similium, quatenus forma sua; hoc est, recta ratione & prudentia conueniunt: dissimiliũ, quatenus propter diuersa obiecta diuersis nominibus appellantur. Sed de his satis: ratio enim postulat, ut quæ huius virtutis à veteribus philosophis nostrisq́ Iureconsultis tradita fuerit descriptio atq; definitio, breuiter explicemus. Aristoteles ergo Ethic. lib. quinto, eam esse dicit, ex qua homines volunt aguntq́ ea, quæ iusta sunt. quæ definitio non naturam & substantiam iustitiæ expli cat, sed potius eius vim & proprietatem. Cicero notationem, Aristoteles & Galenus ὑπογραφὴν seu ἔννοιαν, id est, descriptionẽ & notionem appellant, quæ ex notis et manifestis nobis, solet constitui. Cùm ergo ea quæ sensibus exposita sunt, vtputa actiones & effectus, nobis notiores sint causis & principijs rei alicuius, meritò Aristoteles eam ex actione & vi seu effectu interpretari voluit. Simili descriptione usus est in lib. decem prædicamentorũ, vbi qualitatem esse dixit, ex qua quales esse dicimur: quia cõpositum notius est suo abstracto. Quòd autem adiecit in definitione, volunt aguntq́, id sanè hanc ratio nem habet: quia non satis est, ut lib. secundo de mori bus traditum fuit, actionem quoquo modo probam

studio-

ſtudioſámue ædi, quæq́ virtutis ſpeciem præ ſe ferat, ut quis propterea uir bonus ac uirtute præditus ſit et habeatur, ſed eam à recto rationis iudicio & cognitione, liberoq́ animi arbitrio & voluntatẽ profectam eſſe oportet. Cùm enim fieri aliquando poſsit, ut quis uel metu coactus, vel ui cõpulſus, aut etiam ex ignorationẽ, actionem iuſtam & laudabilem facere poſsit, nec tamen illicò iuſtitiæ habitũ adeptus, iuſtuſq́ dicendus eſſe videatur, niſi etiam ſciens & ſponte id fecerit, quod proprium eſt virtutis. Rectè enim (mea quidem ſententia) Theages inquit, tria eſſe vniuerſæ uirtutis principia, cognitionem uidelicet, potentiam & arbitrium. Cognitio eſt vis, qua res contemplamur & iudicamus. Potentia uerò, animi uelut robur quoddam, quo negocia ſuſcipimus, atque in iiſdem conſtanter perſeueramus. Arbitrium autem tanquam manus animæ quædam, quibus incitamur et agitamur, reſq́ arripimus. Quemadmodũ ergo ſcientia & artes, facultate atq́ cognitione, ita uirtutes propriè uoluntate & arbitrio diſtinguuntur. Atque hæc de notionẽ. Eſſentialis autem huius virtutis definitio ab eodem Ariſtotele in lib. de virtutib. traditur, ubi ſic inquit: Δικαιοσύνη ἐστὶν ἀρετὴ ψυχῆς, διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν. id eſt, Iuſtitia eſt animæ virtus, quæ ſuum vnicuique pro dignitatẽ & merito diſtribuit. Quam definitio-

nem imitatus est noster Cicero, qui habitum animi, communi vtilitate seruata, suam cuiq; tribuentem dignitatem, id est, quo quisq; dignus est, quódue ei debetur lege, cùm à tribuendo unicuiq; quod suum est, Græci νόμον appellent, esse dixit. Quibus definitionibus cõgruit ea quam Vlpianus tradidit, qui sic ait: Iustitia est cõstans & perpetua animi uoluntas, ius suum unicuiq; tribuens. Quæ quidem definitio quia partim à quibusdam reprehenditur, partim à nostris Glossatoribus non rectè intelligitur, explicanda breuiter & succinctè nobis est, & quo pacto cum Aristotelis & Ciceronis conueniat, perspicuè ostendendum. Aristotelis definitio, ut & reliquæ duæ quæ iam allatæ sunt, proprio constat genere, ac proprijs suis differentijs. Genus enim in definitione, est ipsa uirtus, seu perfectio: quæ sequuntur, loco differentiarum adiecta sunt. Harũ autem duplex est ratio: altera enim earum à subiecto in quo consistit uirtus, altera ab actione seu officio sumitur. Vt enim reliquæ uirtutes omnes in parte aliqua animi, sic hæc sola in tota anima, cuius, ut Theages inquit, concentus quidam & harmonia est, cernitur. Porrò uirtutis officium est, pro dignitate & merito suum cuiq; largiri ac distribuere. quod sanè non ita arctè, sed maximè communiter & uniuersaliter intelligendum, ut non tantùm de honorum ac dignitatum distributione,

quod particulari illi iustitiæ, distributiuæ nimirum, τῇ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικῇ, id est, emendatrici seu commutatiuæ opponitur, loquatur, sed potius ut eam animæ rectitudinem atq; perfectionem significet: qua fit, ut primò quidem in homine tantũ unicuiq; parti tribuamus, quantum dignitas eius postulat, rectaq́; ratio tribuendum censet: uel ut significantius dicam, ita omnes animæ humanæ partes, certa quadam & concordi administratione gubernentur, ut ijs quæ suapte natura ad imperandum factæ sunt facultatibus, uim imperãdi, quæq́; facienda sint, iubendi, non facienda prohibendi, ijs uerò quæ ad parendum factæ, recta præcipienti rationi modestè parendi obsequendiq́; uoluntatem tribuamus. Deinde uerò sic compositus ac præparatus animis, societatem huius ciuilis uitæ & coniunctionem hominum inter se ex æquo diligamus ac tueamur, ita ut semper suum cuiq; tribuamus, neminẽ lædamus, rectamq; & legitimam æqualitatem non tantum in distributione præmiorum ac pœnarũ, sed etiam fidem ac æquitatem in cõmerciorum & contractuũ, omniũq; adeò officiorum & utilitatum generibus, constantes ad salutem & patriæ felicitatem propagandã seruemus. Eandem propè uim habent posteriores illæ, Ciceronis dico & Vlpiani, definitiones. Sed hoc interesse uidetur, quòd hæ magis iustitiæ politicæ, quæ

in hominũ societatẽ & repub. versatur, ac propria est Iureconsultorum & legislatorum: illa uerò iustitiæ absolutæ, quæ partiũ animæ concordia quædam est, conuenit. Sed & eo inter se differunt, quòd Aristoteles genus iustitiæ proximum, virtutem nimirum, Cicero & Vlpianus remotius habitum esse tradiderunt: neq; enim constans & perpetua uoluntas aliud quid est aut significat, quàm habitũ: nisi quòd uoluntas aut uis quædam est & potentia quæ ex habitu fluit, nobisq; notior est, aut certè ipsius habitus subiectum. Duplex enim uidetur esse uoluntas: altera quæ habitum sequitur, altera quæ eundem antecedit: & propriè ad appetitum refertur, ex quo deliberatio seu consultatio & electio, quæ omnium actionum sunt principia, oriuntur. Siue igitur tu hanc uel illam uoluntatem accipias, nihil incommodi hæc definitio continebit, cùm constans & perpetua voluntas descriptio habitus sit, ac propriè iustitiæ tribuatur, quippe quæ (ut multis ijsq; non indoctis uidetur) potissimum in uoluntate posita sit: quæ tamen res non parũ est controuersa, cùm alij uirtutibus moralibus appetitum sensitiuum, alij voluntatem, alij nonnunquã aliud, pro subiecto statuant: nisi fortè quis uoluntatem etiam quendam appetitum esse dicat, nomenq; appetitus uniuersalius accipiatur, & dicatur de eo qui rationem sequitur, & propriè uoluntas

luntas nuncupatur: & de eo qui sensum, & propriè nomine generis appetitus uocatur: cuius sententiæ Aristoteles in libro de anima fuisse videtur, cùm inquit: Voluntas enim appetitus est quidā: at cùm motus fit per rationē, & per voluntatē etiam fit, at appetitus absq; ratione manet, &c. Atque hoc in loco non satis possum mirari, quid Rodolpho Agricolæ, homini alioquin cruditissimo, in mentem venerit, quòd hanc nostri Vlpiani rectè traditā definitionē, vt plerasq; alias, lib. secundo Dialecticarū Instit. conetur reprehendere: quam ego non tantum non reprehendendam, sed laudandā potius existimo, quòd & dialecticorum præceptionibus, & Iureconsultorum scopo maximè sit conueniens atque consentanea. Dubitat enim Accursius, sed satis ineptè, quomodo iustitia poßit esse constans ac perpetua voluntas, cùm non semper iustus recta & iusta agat, sed quādoq; fallatur. Huic quæstioni ita satisfieri potest, vt constantem & perpetuā voluntatem hîc accipiamus, non eam quæ nunquam, sed perquàm raro labatur, & vtplurimum id quod honestum & iustum est expetat. Vt enim nunquam errarē solius Dei, ita perquàm raro, artificis munus est. Adde, quòd si uir bonus & iustus quādoq; ab æquo deficit, non tamen ob id uoluntas et habitus animi tollitur, quippe cùm vel ob errorem, uel ignorationem, vel incertitudi-

nem & inconstantiã rerum quis labi ac decipi possit, voluntatẽ tamen iustè & bene agendi non amittat, sed ad se rediens erratum corrigat, rectaq; ratione peccatum emendet. Quòd si etiam id eueniat, vt ipsam adeò voluntatem bene agendi mutare incipiat, dicendum quoq; erit, iustitiam in eo tum obseruari, atque idcirco constantem esse ac perpetuã voluntatem, vt quandiu in homine fuerit, ipse quoq; secundum hanc affectus sit. Si ita accipiãtur, nihil incommodi habebunt. Quod autem de iustitia diuina, & concreta & abstracta nugantur interpretes, id partim à proposito alienum est, partim etiam veritati minimè consentaneum. Atq; hæc quidem de natura iustitiæ, eiusq; diuisionẽ in vniuersalem ac particularem seu priuatam, dixisse sat sit. Quanquam non me latet, & aliam huius apud philosophos partitionem reperiri, in eam nimirum quæ simpliciter & absolutè iustitia dicitur, quæq; in animo hominis cernitur, & in rep. quæ politica: et in eam quæ cum adiunctione, herilis nimirũ, patria vel maritalis, quod inter seruũ et dominũ, aut parẽtes et liberos, aut vxorem ac maritum spectetur, appellatur. Quæ quidem omnes iustitiæ superioris illius partes quædã esse conspiciuntur, ita quidem vt verè dici poßit, potißimã iustitiæ diuisionem, ac summã eam esse, vt alia quidem totam virtutem, alia partem tantùm virtutis,

vtputa fortitudinem, temperantiã, aut herilem, aut maritalem æquitatem respiciat, complectatúrue. Iustitia ergo particularis, vt ex superiori disputationẽ liquet, absolutè & primò ac per se, bonũ non est, propter quod extremum & vltimum omnia expetantur: quippe cùm virtutis tantũ pars sit, quæ reliquas non complectatur. Vnde etiam fit, vt neq; finis, neq; vltima perfectio ciuitatis, aut societatis humanæ esse poßit: perfectio enim vltimum quoddam bonum est, quæ citra multarum virtutum adminiculũ non habetur. Quòd si ciuitatis & reipub. perfectio non est, neq; legislatoris & Iureconsulti, qui reipub. summum bonum conseruant, ac tuentur, finis aut scopus esse unquã poterit. Quòd autem summa reipub. perfectio citra cumulum virtutum consistere non poßit, ex eo ostenditur, quòd perfectio ciuitatis est felicitas ipsa, cuius gratia omnes omnium hominũ societates congregantur, ad quam omnes leges & consuetudines diriguntur, cuius in repub. conseruandæ ac tuendæ causa, consilia, deliberationes, actionesq; ciuiles atq; politicæ uniuersæ, tum à magistratu, tum à populo, suscipiuntur, geruntúrq;: hanc ita exoptãt omnes, ita admirantur cuncti, vt sine ea, non tantũ non cõmodè, sed ne viuerẽ quidem se posse arbitrentur: econtrà verò, & se & suos tantisper incolumes ac beatos existimant, quoad eius beneficio & subsi-

dio adiuuantur atq; proteguntur. Porrò autem, ut recte Aristot. de moribus, & in lib. Politicorũ, et Plato in lib. de Repub. & legibus, sæpißimè admonent, felicitas humanæ vitæ tribus videtur constarę necessarijs partibus, sine quibus homines societatẽ inter se neq; tueri, neq; etiam cõmodè viuerę possunt. Sunt autem hæc tria bonorum genera, externa nimirum, corporis & animi: quæ omnia felici homini, vt beatus dici poßit, adesse debent: nemo enim felicem illũ esse dixerit, qui nulla parte fortitudinis, aut temperantiæ, aut prudentiæ, aut iustitiæ præditus, etiam circunuolitantes (vt Aristoteles inquit) muscas timeat: aut ita intemperans ac dissolutus inueniatur, vt edendi ac bibendi extrema cupiditatę flagrans, vim & iniuriam manúmue charißimis etiam inferat: deniq; tam stultus & rerum omnium ignarus sit, vt vel puerum uel insanũ moribus imitetur. Eademq; inuenitur ratio in reliquis duobus bonorũ generibus. Quis enim homo, quæúe societas seu respub. beata dici potest, cui non tantum earum rerum quæ ad splendorem & magnificentiam pertinent, sed etiam necessariarum, quæ ad victum attinent, abundantia ita deest, vt neq; se tueri, neq; alios iuuarę cõmodè poßit? aut quæ tales nutriat ciues, qui tam imbecilles animo & corporę inueniantur, vt neq; suæ reipub. limites tueri, neq; etiam externam insidiantium

tium

tium vim repellerę, interdū etiam quando opus est bello alios lacesserę valeant? Profectò vt hæc omnia adesse felici homini ac ciuitati deberę in confesso est, ita de quantitate & excessu atq; moderationę harū rerum ab hominibus tantū ambigitur. Pleriq; enim tum se demum verè beatos fore arbitrantur, si postpositis vtcunq; cæteris virtutū generibus, infinitam pecuniæ ac diuitiarū vim consequuti fuerint: eamq́; felicißimam rempub. esse existimantes, quæ ad opes, ad potentiam, ad quas eorum leges et consuetudines omnes diriguntur, sit comparata atque instituta. Ex quo fit, vt eiusmodi nō virtutes externis bonis, quod tamen deberent omnes, sed potius externa bona virtutibus conseruent, atque vt semel dicam, scopus et finis in externarum rerum copia & abundantia ijs propositus est. Atenim qui sic de felicitate statuunt, grauiter ex Aristotelis & Platonis sententia errarę videntur: experientia nanque & quotidianus vitæ vsus, eos qui moribus & virtute quantum fieri potest in hominę præditi sunt, fortunæ autem bonis mediocriter ornati, ostendit feliciori ac tranquilliori vitæ generę frui, quàm eos qui externis bonis affluentes, uirtute aut omnino carent, aut eam non ita seriò cōplectuntur. Sed & recta insuper ratio faciendū id præcipit semper, vt ea quæ digniora sunt & vtiliora, & ad quæ cætera referenda sunt omnia, in omni

vitæ generę leuioribus anteponantur. Externa autem hominis bona cùm instrumenti loco habeãtur, ad virtutes earumq́; actiones usum tantùm sui præbent: vnde etiam fit, vt quemadmodum in cæteris rebus, quæ vtiles tantùm sunt, excessus earũ vel noceat habenti, uel nihil prosit: ita virtutes & bona animi quæ & honesta sunt, & per se expetuntur, quanto magis augentur, tanto etiam homini magis vtilia sint. Itaq; in bene constituta repub. diligenter Plato & Aristot. monent, id in primis spectandum esse, vt horum omnium quæ ad huius vitæ felicis vsum necessaria & vtilia sunt, nihil desit: deinde, vt earum rerum quæ iam adsunt, delectus instituatur, ita quidem, vt non omnia vno habeantur loco, sed ea præponantur cæteris omnib. quæ & honesta sunt & vtilia, & per se expetenda: illa verò sequantur, quæ vtilia tantùm sunt, & aliorum gratia quæruntur. Semperq́; eò nostra consilia dirigenda sunt vniuersa, vt quo animus est dignior corporę, eo quoque eius bonorum ac virtutum maior quàm cæterarum rerum delectus atq; ratio habeatur. Vt non immeritò sæpe & grauiter Zeno dicerę solitus sit, decorandas esse vrbes non preciosis ornamentis, sed inhabitantium virtutibus. Et Pythagoras eam tandem omnium ciuitatum optimam esse statuerit, quæ bonorum virorum multitudinę repleta sit. Aristoteles

quoq;

quoq; libro Polit. secũdo, cap. nono, hac potißimùm ratione leges & rempub. Carthaginensiũ reprehendit, quòd primã curam opum in deligendo magistratu, non virtutis habuerint, ac ciuitatem non ad virtutis, sed pecuniarum studium conuerterint: ex quo factum postea est, vt maximi quiq; magistratus, imperium, & belli ducatus, totaq; adeò respub. uel ciuitas venalis reddita fuerit. Porrò autem ut inter priora bonorum genera, ita quoq; inter animi bona atq; virtutes non paruũ interest discrimen: nam quemadmodum partes aliquæ alijs sunt nobiliores atq; præstantiores, ita & earum virtutes se habeant necesse est. ac proinde rectè monet Plato, fortitudinẽ ad temperantiam, temperantiam ad prudentiam, hæc autem omnia ad unam in mente & ciuitatẽ iustitiam referri oportere. Cùm ergo scopus omnis societatis ac reipub. finis, vt ex superiorib. patet, felicitas sit, ipsaq; adeò beatitudo: beatũ autẽ esse nihil aliud sit, quàm bene agere: ac fieri nequeat, vt qui bona non agant, bene agant: nullaq; bona actio sine virtute atq; prudentia cæterisq;, fortitudine puta & iustitia & temperãtia, habeatur, necesse profectò est, ut qui reip. curam eiusq; administrationem rectè instituere desiderant, huius felicitatis ac virtutũ omniũ, quæ vno iustitiæ cõplexu comprehenduntur, rationem habeãt, ipsamq; sibi tanquam vltimũ quendam scopum con

ſtituant: in quem quicquid deliberationis & actionis & conſilij ſuſcipiunt, intuentes, ciuilem ſocietatem ac rempub. hac ratione tueantur. Atqui & legislatores & Iurecõſulti quid aliud obſecro ſpectãt, quid aliud efficiunt moliunturq́, niſi vt hanc inter ſe hominum ſocietatem tueantur? vt reipub. concordiam ac tranquillitatem cuſtodiant? quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno, coërcent: eoq́ diriguntur inſtituta, cõſuetudines, reſponſa, decreta, leges deniq́ omnes, ut huius felicitatis & iuſtitiæ, omniũ deniq́ virtutũ in repub. nomen ſaluũ & incolume retineatur, quantũq́ fieri poteſt promoueatur. Cùm ergo vna virtutis pars felicitatẽ neq́ homini afferre poßit, neceſſariò efficitur, vt neq́ ciuitatis neq́ legislatoris aut Iurecõſulti vltimus et extremus ſcopus, quem intueatur, eſſe poßit. Quapropter rectè Plato in lib. de Legib. Lycurgi & Minois leges tacitè reprehendit, quòd non tam ad virtutem ſimpliciter, quàm ad bellicã virtutem latæ fuerint: neq́ ciuium tranquillitatẽ atq́ iuſtitiam, quàm Martis cultũ reſpexerint. Cùm enim leges eò potißimum dirigendæ ſint, vt id quod ab omnibus ciuibus maximè omniũ expeti ſolet ac debet, cuſtodiant atq́ præcipiant: pugna verò & victoria cùm malorum laborumq́ plena, non propter ſe quidẽ optanda ſit, ſed eligenda potius propter pacem, tutamq́ vitæ tranquillitatem: fieri

fieri profectò non potest, vt ciuitas & respub. felix ac beata dicatur illa, quæ non ad uirtutis, sed belli vsum sit instituta: quemadmodum nemo ita exoptat viuere, vt in perpetua contra morbos pugna victoriaq; uersetur. Quare legislatori id curæ esse debet, ne studia pacis ad bellica, sed cõtrà, bellica potius ad pacis cõmoda officiaq; referat: pacem verò ad liberum & tranquillum reipub. statum. Eadem scribit Aristoteles septimo lib. Polit. cap. secũdo, his uerbis: Sunt etiam qui alijs dominari, & tyrannicum reipub. modum, solum putant esse beatum. Et in quibusdam ciuitatibus hic est finis legũ, vt finitimis dominentur. Itaq; cùm pleraq; constituta passim, vt ita dixerim, iaceant apud plurimos, tamen si quid vnum leges respiciunt, id coniectant omnes vt ciuitas dominetur. Sicut in Lacedæmone & Creta, ad bellum ferè ordinata est disciplina iuuentutis, & legum multitudo. Præterea apud gentes omnes quæ cæteris præualere possunt, huiusmodi laudatur honoraturq; potentia: ceu apud Scythas & Persas, & Thraces & Gallos. Quibusdã enim leges sunt, ad huiusmodi prouocantes virtutem: vt apud Carthaginenses ferunt, ornatum annulorũ accipere, pro numero expeditionum in quibus militauerint. Fuit etiam quandoq; in Macedonia lex, eum qui nullum hostem interfecisset, capistro cingi. Apud Scythas verò non licebat solenni-

bus epulis paterã circũlatam acciperẽ ei, qui nullum occidiſſet hoſtem. Apud Hiberos quoq; pugnacem gentem, tot obeliſcos erigere circa ſepulchrum mos eſt, quot homines ex numero hoſtium quis necauerit. Et alia apud alios ſunt huiuſmodi complura, legibus aut moribus conſtituta. Atqui videretur forſan nimis abſurdũ eſſe, ſi quis conſiderarẽ velit, an hoc propoſitum debeat eſſe eius, qui legibus inſtituit ciuitatem, prouiderẽ videlicet vt illa dominetur finitimis & nolentibus & inuitis. Quomodo enim id ciuile, aut lege ſanciendũ, quod ne legitimum quidem eſt? neque enim legitimum, non ſolum iuſtè, verùm etiam iniuſtè dominari. Nam imperium obtinerẽ licet etiam non iure. Atqui nec in alijs ſcientijs ita fieri videmus. Neq; enim medici, neque gubernatoris eſt, vel perſuaderẽ ægrotis, & nautis, vel vim afferre. Sed pleriq; tamen videntur exiſtimarẽ, ciuilem diſciplinam nihil aliud eſſe quàm dominari: & quod in ſeipſos fieri nollent, hoc in alios facerẽ non erubeſcunt. Ipſi pro ſe iuſtitiã quærunt, pro alijs verò nulla eis iuſtitiæ cura eſt. Hoc autem abſurdum, niſi tales ſint natura, vt alter dominari debeat, alter non. Quod ſi eſt ita, non eſt conandum omnibus dominari, ſed illis duntaxat qui vt pareant apti ſunt: ſicut neque homines venari ad menſam vel ſacrificium, ſed illud quod venabile eſt. Eſt autẽ venabile omne animal

mal

mal quod suapte natura ferum est, & esui aptum. Enimuero fieri potest vt sit ciuitas una seorsum per seipsam beata, uidelicet si gubernetur rectè. Nam potest esse sita in loco penitus separato, & legibus vti laudabilibus: cuius reipub. cõstitutio neq; ad bellum, neque ad superandum hostes sit idonea. Patet igitur quòd rei bellicæ studia bona sunt existimãda, sed nõ vt finis supremus, sed gratia illius. Studiosi autem legumlatoris est considerarę vrbem, ac naturã hominum, & omnem aliam societatem vitæ laudabilis, quò quantum fieri potest, participes sint felicitatis. Differentia tamen erit in quibusdam constituendis: & hoc pertinet ad eandem disciplinam quæ est de legibus ponendis: uiderę, si qui sint finitimi populi, qualia erga quales exercenda sint, & quemadmodum cum singulis conuersandum. Hæc Aristot. de illis ciuitatibus, quarũ leges non ad virtutem totam atque iustitiam, sed ad eius partem, fortitudinem nimirum ac bellicum robur conditæ erant, eo in loco disseruit, easq; iure optimo reprehẽdit. Quomodo autem cæterarum virtutum usus & vtilitas in repub. & societate necessariò desideretur, his verbis eleganter sanè & copiosè eodẽ lib. cap. decimoquarto aperit. *Hoc vtiq; legumlatori intuendum laborãdumq; est, vt boni viri efficiantur, et per quæ media & exercitia, & quis tandem optimæ vitæ finis existat.*

Diuersæ autē sunt partes animæ nostræ: altera enim suapte natura rationę prædita est, altera quidem per se rationę prædita nō est, rationi tamen obtemperare potest. Quarum partium virtutes diximus esse illas, à quibus vir bonus denominatur. Sedenim in vtra istarum finis statuendus est? An qui ita diuidunt hæc vt nos facimus, quomodo statuendum id sit, minimè dubitāt? Semper enim id quod deterius est, melioris gratia existit, vt in ijs quæ tum ab artę, tum à natura fiunt, videre est. Melius autem atq; præstantius id est quod rationem habet, quàm id quod ratione caret. Possumus autem, vt & aliàs facerę solemus, dupliciter id partiri. Est enim ratio alia quæ ad actionem dirigitur, alia quæ ad contemplationē. Eadem ergo rationę & hanc partem diuiderę oportet, & actiones his eodem modo corresponderę: ac necesse est eas actiones quæ meliores sunt suapte natura, magis expetendas esse ijs qui hæc cōsequi possunt, aut omnia, aut illa duo. Semper enim id cuiq; maximè expetendū est, cuius potiri est summū. Diuisa est autem vita in negocium & ocium, bellumq; & pacem. Et eorum quæ aguntur, quædam sunt necessaria & vtilia, quædam honesta. In quibus omnibus idem delectus faciendus est, & partibus animæ, & earum actionibus, ita quidem vt bellum gratia pacis, negocium autem gratia ocij, necessaria deniq; & vtilia

vtilia causa honestorum expetantur. Ad cuncta igitur hæc legislatorem respicere par est, ad partes nimirum animæ, et ad illarum actiones, præcipueq́ ad ea quæ meliora sunt, & fines. Eodemq́ modo & circa vitam atq́ rerum diuisiones solicitum esse oportet, vt & in negocio & bello versari quis possit, ac necessaria & vtilia agere: praeferenda tamen semper est pax & ocium, & honesta vtilibus. Itaq́ ad hæc tanquã ad signum, & pueritia aliæq́ ætates quæ disciplina indigent, dirigẽdæ sunt. Nam qui nunc Græcorum populi rectè gubernari videntur, ac legumlatores qui eas respub. rectè instituêre, illi neq́ ad optimum finem videntur respexisse, neq́ ad omnes virtutes suam disciplinã legesq́ direxisse, sed violenter declinauerunt ad eas virtutes quæ videntur vtiles, & ad quæstum parandum faciunt. Eademq́ ratione posteriores quidam scriptores, eandem suam esse sententiã declararunt. Laudantes enim Lacedæmoniorum rempub. cõmendant legislatoris propositũ, quòd omnia ad potentiam & ad bellum direxerit: quæ & ratione refelli possunt, ipsoq́ adeò facto & experientia refutata iam sunt. Vt enim plurimi hominum dominari latè cupiunt, quoniã ea ex re multa proueniunt fortunæ commoda: sic Thibron admirari laudareq́ videtur Lacedæmoniorũ legumlatorem, omnesq́ alij qui de illorum repub. scripserunt,

quòd propter exercitationẽ eorũ ad pericula, multorum sibi imperiũ comparauerint. Atqui patet, quòd cùm hoc tempore nõ imperent Lacedæmonij, nec felices amplius essent, nec legumlator eorũ bonus. Præterea illud ridiculũ quoq; est: si permanentes in legib. eius, nulloq; impediẽte illis legib. uti, amiserũt ipsum bene uiuere. At hi nõ rectè sentiũt, neq; de imperio, ad quod respexisse legislator videtur, iudicant: nam imperare liberis hominibus melius est, quàm seruis, atq; magis cum virtute coniunctũ. Præterea nõ ex eo ciuitas felix existimãda est, neq; legislator laudandus, quòd vincere docuerit, & finitimis dominari: hæc enim sine maximo damno effici nõ possunt, propterea quòd aduersus etiã proprios ciues, qui id poterit, aget, ac ciuitati suæ dominari conabitur. Qua in re Lacedæmonij Pausaniã accusant, licet in tanta dignitate constitutum. Nec sanè aliqua huiusmodi ratio aut lex ciuilis est, neque vtilis neq; vera: ea enim quæ & priuatim & publicè optima sunt, legumlatorem inducere oportet in animos hominum. Neq; rerum bellicarum exercitiũ ob id meditandum est, vt in seruitutem immerentes adigãtur, sed primùm, ne ipsi alijs seruire cogantur: deinde, ut imperiũ quærant gratia vtilitatis subditorum, non autem dominationis causa: tertiò, vt ijs dominentur qui seruire digni sunt. Quòd autem oporteat legislatorem operam

ram dare, vt eius studium circa res bellicas aliasq́; re stitutiones, ad ocium & ad pacem referatur, id atte- statur, quòd pleræq; huiusmodi ciuitatum bellum ge rentes tantisper custodiuntur, donec dominationem adeptæ sunt, vbi tum demũ concidunt. Splendorem enim veluti ferrum, per pacem amittunt. Causa hu- ius mali est legislator, qui non ita instituit, vt in ocio quiescerę ac stare poßint. Hæc Aristoteles de rep. Lacedæmoniorum refert, quæ pacis artibus, quibus per philosophiæ cognitionem, luxum, auaritiam, am bitionem, quæ vitia multoq́; his plura plerũq; ocium solent comitari, vitarent, minimè docta fuerat. Ideó que cùm ad bella gerenda præcipuè à legislatore insti tuta esset, factum est, vt cùm in ocio & pace, amissa priori vitæ consuetudinę, cœpisset viuere, degenera rit atque corrupta sit, ac non solùm exterorum, sed etiam propriæ ciuitatis imperium amiserit. Quod e- tiam Romanis accidisse fertur. Nam cùm sub Augu sto, Tiberio, Caio, Claudio, Neronę, aliisq́; partum im perium pacem illis constituisset: conuersis belli arti- bus, quibus Romani assueuerant, ad ocium, luxus, ambitio, ciuilia deniq; bella consequuta sunt, quibus rerum gestarum monumenta, atque clarißima tan- dem respub. labefactata est, quòd nimirũ magis belli quàm pacis muneribus instituta ab initio esset. Quæ incommoda cùm cognosceret Scipio Nasica, vir suo

temporē longè prudentißimus, Carthaginis euersionem populo Romano dissuasit, ne eorum imperiū ad bellum natum & educatum, aut ocio periret per luxum, aut in se, sublato externo hostis metu, arma conuerteret. Rectè ergo ac sapienter monet Aristoteles, legislatori non tam ad belli, quàm pacis tempora respiciendum esse, vt & foris & domi feliciter ac beatè ciuitas viuerē poßit. Quem imitatus est noster Imperator Iustinianus, qui Imperatoriā maiestatem nō solùm armis decoratam, sed & legibus armatam esse oporterē ait, vt vtrunq; tempus, & bellorum et pacis, rectè poßit gubernari: & Princeps Romanus non solùm in hostilib. prælijs victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantiū iniquitates expellat: & fiet tam Iuris religiosißimus, quàm victis hostibus triumphator maximus. Qua ratione autem & in pace & in bello legislatoris munus & officium sit, non vnius, sed omnium virtutū rationem haberē, Aristoteles hisce verbis aptißimè ostendit, sic inquiens: Cùm ergo idem finis esse videatur, publicè & priuatim hominibus: & eandem definitionem esse necesse sit, viro optimo & optimæ reipub. manifestum est oporterē virtutes eas, quæ ad ocium pertinent, illi inesse. Finis est enim, vt sæpe diximus, belli, pax: negocij, ociū. Sunt autem vtiles ad ocium & quietem virtutes, quarū opus in ocio est, & quarum

rum in negocio. Oportet autem multa negocia nobis existere, ut liceat in ocio esse. Quapropter temperatã ciuitatem esse oportet, ac fortem & patientem: nam vt est in prouerbio, Nullum ocium seruis. Qui verò non possunt fortiter pericula subire, serui sunt inuadentium. Fortitudine igitur & constantia opus est ad negociũ, philosophia verò ad ocium. Temperantia autem & iustitia in vtroq; tempore, sed magis in pace & ocio. Nam bellũ quidem ipsum cogit homines esse iustos ac temperatos. Fortunæ autem prosperæ fruitio, & ocium cum pace, petulantes magis efficit. Multa igitur iustitia, multaq; temperantia indigent hi, qui in optimo statu constituti videntur, & in fruitione omniũ rerum, quæ beatos facere putantur: ueluti si qui sunt, ut Poëtæ tradunt, in beatorum insulis: maximè enim hi philosophia, & temperantia, & iustitia indigerent, quanto magis ociosi sunt, in abundantia talium bonorum. Qua igitur de causa beata & studiosa futura ciuitas his indigeat virtutibus, manifestum est. Turpe est enim, non posse frui bonis, sed in negocijs quidem & bello, viros probos videri, in ocio autem & pace seruiles. Quamobrem oportet (non quidem vt Lacedæmoniorum ciuitas) virtutem exercere. Illi enim nõ eo ab alijs differunt, quòd non existiment eadem esse maxima bona quæ cæteri, sed quòd acquiri ea putẽt ex una aliqua virtu

te. Quòd igitur maiora sint hæc bona, quàm ea quæ belli, & fruitio harum virtutũ, & quòd istarũ gratia, cætera omnia, manifestum ex his est. Ex his satis apparet, felicitatẽ ciuitatis & reipub. non in vna virtutis parte, sed in tota spectari oportere. Cùm enim id conandũ sit, vt omni tempore sibi similis eodemq; in statu permaneat, tempus autem & ocij & negocij existat, profectò vtriusq; ratio habenda erit ita, vt & illæ quæ ciuitatẽ in ocio seruant virtutes, & quæ eandẽ in bello non euertunt, inter ciues exerceantur seruenturq;, hac adhibita moderatione, vt quemadmodũ suscipiuntur à nobis bella ob eam causam, vt in pace viuatur, ita quoque virtutes eæ quæ ad belli vsum conducunt, ad pacis & tranquillitatis cõmoda referantur. Huc pertinet quod Serinus scribit, Persarum reges ante sacrificia de pietate differere: antequã bibant, de temperantia: pugnaturos verò, de fortitudine. Hanc eandem fuisse sententiã Platonis nostri, ex diuisione illa partium liquet, cuius in lib. de repub. & legibus, nõ vno loco mentionem facit: eumq; sequitur Aristoteles. Etenim Plato, & ante illum Hyppodamus Pythagoreus, omnem ciuitatem in tres præcipuos ciuium ordines diuisam esse arbitrati sunt: & vnum quidem esse bonorũ ordinem publica negocia administrantium: alterum ex viris robustis constare: tertium ex illis, qui res ad victum necessa-

necessarias ciuitati afferre atq; suppeditare possunt. Primum βουλευτικὸν, id est, consiliarium appellant: secundum ἐπίκουρον, id est, auxiliarem: tertium verò βαναυσικὸν, id est, mechanicũ. Ac priores quidem duos, vitam liberam degere oportere: tertiũ, victum labore quærere aiunt. Deinde, consiliariũ optimum esse, mechanicum deteriorem, auxiliarem medium. Item consiliarium imperare, mechanicũ parêre, auxiliarium vtrunq; facere. Quam quidẽ reipub. partitionem Plato ex animæ humanæ constitutione, cuius natura repub. prior, mutuatus est: anima enim, ut sæpe antea dixi ex sẽtẽtia Platonis, tres habet vires: intelligendi nimirũ, cui prudentia tribuitur: irascendi, cui fortitudo & modestia: concupiscendi, cui temperantia. Quæ vires ita aptè sibi connexæ sunt, vt in ijs quoddam appareat imperium, quo aliæ alias sua vi ac facultate regant, illæ verò pareant. Ratio enim sua prudentia, & vires irascendi & concupiscendi moderatur: hæ vicissim rationi recta dictanti libenter obsequũtur: sed non eodem modo: nam cupidinea pars semper paret, quia longius à ratione recedit, ac brutorum naturam imitatur. Irascendi autem facultas, partim quidem rationi paret, quatenus impetum & feruorem animi modestia compescit: partim verò imperat, quatenus iubente eadẽ ratione, appetitiones illas immoderatas fortitudine sua

coërcet ac refrænat. Non secus igitur rempub. tribus his partibus earumq; virtutibus constare illi arbitrati sunt: magistratu nimirum, qui quid agendum sit, consilijs definiat, deq; rebus & salute totius ciuitatis diligenter consultet, suaq; prouidentia ac sapientia solus reipub. gubernacula regat, præscribens recta & vtilia, vetansq; horum contraria, iniusta & inutilia. Et militibus, qui robore virium, animositate & audacia præditi, ciuitatis salutem ac concordiã manu tueantur, atque pericula belli, & iniurias quæ ab externis hostibus inferri solent, fortiter à capite reip. propellãt. Et mechanicis, qui partim labore agriculturam exercendo, in regionis cultu occupati, partim inueniendis exercendisq; artibus & cõmoditatibus destinati, partim etiam peregrinationib. propter mercaturam dediti, quæ in ciuitate quidem abundantia in exteras regiones euehat, aliaq; aliunde in patriam conuehat, omnia quæ ad huius vitæ necessitatem, et ad voluptatem cõmoditatemq; & victus & amictus pertinent, sedulò quærant ac importent. Atqui vt magistratus imperare cæteris possit, prudentia certè opus est, quæ cùm nihil aliud sit, quàm recta ratio, ea quæ facienda sunt aut non facienda, sola ostendere potest. Mechanicus autem ordo, ne vel nimiũ ea quæ ad voluptatem vel luxum reipub. faciant, consectetur, ijsq; operam det, temperãtia indiget, vt

medio-

mediocritatę quadam contentus viuat. Deniq; militum et propugnatorū multitudo, vt insidiantium hostium impetus animosè reprimat, nec imminentia pericula metuat, fortitudinę: vt uerò ciuium suorum discordias placidè componat, mansuetudine & clementia præditus sit necesse est. Deniq; vt singulæ iam enumeratæ partes propriam & particularē virtutem, si respub. salua & incolumis futura est, requirunt, ita in his omnibus iustitia & æqualitas diffusa sit oportet, quæ reliquarū virtutum omnium quasi regina, in omni actionę tum magistratus, tum propugnatorum, tum etiam mechanicorū cernatur, atque non secus harum reipub. partium virtutes, ac sanitas totius corporis omniū eius partium sanitates, vel vna harmonia omnium aliarum fidium sonos æquabili ac decora iuris moderatione complectatur.

Eadem scribit Aristot. septimo Polit. vbi de natura reipub. & quales in ciuitatę oporteat esse ciues, docet: vult enim eos non tantùm corporis, sed etiam animi viribus esse præstantes. Animi quidem, ut artes ad vitam vtiles ac necessarias excogitare: corporis verò, ut libertatem suam aduersus aliorum impetus tueri valeant. Quapropter & ciuitates Græcorum ea potissimùm laudę dignas existimat, quòd solæ præ cæteris his virtutibus maximè ornatæ esse uideantur, ac respub. bonis legib. recteq; institutas pos-

ſideant. Nam quæ frigidas regiones incolunt gentes, vt Europam, animoq́ abundant, ingenij verò et artificij parum habent, etſi libertatem ſuam tueantur, diſciplinam tamen reipub. difficulter recipere, ac finitimis dominari minimè poſſe inquit: rurſusq́ eas quæ Aſiam incolunt, ingenio & arte abundare, ſed animoſitate deſtitui, & ob id parêre dominantibus, & ſeruire ſemper. At Græcorum genus, quòd mediam regionem locorum ſortitũ ſit, ſic etiam amborum eſſe participem: nam & animoſum & ingenioſum eſſe: hincq́ fieri, vt non ſolùm in libertate degere, & diſciplinam reipub. optimè recipere, ſed & vnius reipub. conſtitutionem ſortitum, imperare omnibus poßit. Quam equidem laudem concedamus Ariſtoteli, & ſuis Græcis, qui in recitandis ac decantandis proprijs virtutibus, ſolent, ut multis alijs in rebus, quandoq́ eſſe profuſiores ac leuiores. Porrò autem vt ſuperiores illæ reipub. partes inter ſe coniungi ac vniri, ita & earum omnium uirtutes tribus potißimum rebus cuſtodiri poſſe, priſci illi philoſophi ac legislatores arbitrati ſunt: doctrina nimirũ, & rationibus, bonis conſuetudinibus ac legibus. Ariſtoteles naturam, conſuetudines, & rationem numerat: ſub qua & leges comprehendit & diſciplinam. Putat enim homines natura aptos naſci debere ad ſocietatem huius vitæ, & virtutis uſum, quemadmodũ

& cæ-

& cætera animalia, quæ partim naturam ducem sequuntur, ut efferatiora illa: partim etiam consuetudinem adhibent, ut quæ disciplinæ capacia sunt, ut elephanti, equi, canes, & nonnulla in volucribus: at homo solus præter naturam & consuetudinem, ratione & intelligentia regitur, & iusti, & iniusti, veri & falsi cognitionem rationemq; habet. Rationes ergo docent, induntq; desideria, ut Hippodamus ait, ad virtutem incitantes: leges partim metu deterrentes coërcent, partim honoribus & præmijs allicientes inuitãt. Consuetudines autem & studia, animum formãt, & quasi cereum fingunt, naturali habitu ob assiduam actionem imbutum. Atq; ut virtus tribus ex causis promouetur, metu nimirum, cupiditate atq; pudore, ita metum incutere lex potest, pudorem consuetudines: bonis enim moribus imbutos turpe quid admittere pudet. doctrina verò desiderium parit: reddita enim rei causa, animum allicit attrahitq;, maximè si cum adhortatione uel admonitione iuncta est. Quocirca hæc tria eò diriguntur omnia, ut non tantùm reipub. partes singulas, sed earum quoque virtutes uniuersas, moderentur tueanturq;. Ex quo fit, ut quemadmodũ totius reipub. felicitas non in vno aliquo honestatis genere consistere, ita neq; ipsis legibus, quæ rempub. continere, ac felicitatem eius tueri et custodire debent, una aliqua vir-

tutis pars, ſcopus propoſitus eſſe poſſit. Rectè ergo Plato Syracuſanis leges eas accipiendas ſuaſit, quæ non ad quæſtum & diuitias & cupiditatem animos eorum conuerterent, ſed quæ ad omnia bonorum genera ſpectarent: atq; inter hæc tria, animã dico, corpus & pecuniam, animæ virtutem precioſiſſimam efficiant: ſecundã verò corporis, animæ virtutę inferiorem: tertium ac poſtremũ pecuniæ ſtudium, quod corpori ſimul & animæ inſeruiat. Quas quidem hæc efficientes leges ſeu conſtitutiones, optimas futuras eſſe, ac rempub. iis vtentẽ reuera beatam ac felicem fore exiſtimauit. Hinc quoq; eſt, quòd libros illos decem, quos de Republica formanda conſcripſit, nõ de Repub. ſed de iuſtitia & iuſto inſcribi maluit, totãq; adeò ab initio diſputationem ab ea virtute exorſus eſt, eam ut arbitror ob cauſam, quòd nimirum omnem actionem tam publicam quàm priuatam, non ad copiam, non ad potentiam, non ad victoriam, ſed ad ipſam omnium virtutum matrem ac reginam iuſtitiam referendam eſſe putauerit. Quæ quidem iuſtitia, omni ſublata perturbationę, expulſiſq; contentionũ impedimentis, ciuium animos, ipſumq; adeò ciuitatis ac reipub. ſtatum vniuerſum pacatiſſimum atque feliciſſimum reddit, ita quidem, vt non tantùm inter ſe beatè ac tranquillè viuant ij qui in eadem ciuitatę verſantur, ſed etiã ad inueſtigatio

nem

nem ueri, & Dei optimi maximi cultum paratiores promptioresq; reddantur. Atq; hoc quidem de ultimo et extremo, & reip. et legislatoris fine seu scopo, veteres philosophi nobis scriptũ reliquerẽ. Quorum sapientissimorum hominum placita nostri quoq; Iureconsulti legumq; interpretes secuti sunt, qui eadem rationẽ nõ de vna aliqua virtutis aut vitij partẽ, sed de omnibus ijs quæ reipub. statũ aut conseruarẽ aut lædere possunt, leges saluberrimas sanxerũt, ipsamq; iustitiam vniuersalem virtutemq; vniuersam, scopum suarum constitutionum esse professi sunt. Vndẽ Vlpianus in l. iustitia. ait, iuris præcepta hæc esse, honestè viuerẽ, alterum non lædere, suum cuiq; tribuere. ad quæ tria præceptorũ genera, omnes profectò leges, instituta, consuetudines ac principum sanctiones diriguntur. Quorum primũ quidem omnem virtutis usum complectitur, omnesq; vitæ nostræ honestates, qua, vt Cicero inquit, quatuor illæ virtutes continentur, nec eius vlla actionum nostrarũ, siquidem laudabilis & honesta futura sit, expers esse potest: hoc enim monet, vt fortiter, tẽperatè, benignè, comiter, moderatè, mansuetè, verè, & omni omnino virtuti congruenter nos geramus, & quæcunq; tum philosophorum præcepta, tum rectæ rationis iudicium iubent, operibus nostris præstemus, aut fugiamus. Atque hoc maximè præceptum ad priuatæ ac

propriæ vitæ moderationem ualerę videtur, quemadmodum reliqua duo in societatę ac cõmunitate ciuili hominumq; inter se potißimùm spectantur, quorum alterum quidem cùm in delictorũ correctionę positum sit, neminem videlicet ut lædamus, vetat: alterum in rerum contractarũ fide, & officiorum exhibitionę cernatur, vt suum cuiq; tribuamus, iubet. Alterum autem non læderę, ita latè hoc loco accipiendum est, vt non solùm sub sese eam quam Græci vocant ὕβριν, id est, ignominiam & contumeliam, quæ hominis existimationem & famam imminuit, sed etiam βλάβην, quæ ad externa bona refertur, et corporis oblæsionẽ spectat, ut verbera, vulnera, cædes, furta, rapinæ, et quæ his sunt affinia, cõprehendat. Tertiũ quoq;, quod ut vnicuiq; suum tribuamus, præcipit, id vniuersæ iustitiæ ac vitæ politicæ naturam continet, atq; ita latè accipiendũ est, vt superius in definitionę dixi: quod nõ animaduerterũt hoc in loco interpretes. Neq; illorum sententia mihi probatur, qui hæc duo præcepta re coniuncta asserunt, vt alterum altero contineatur. Etsi enim is neminem lædat qui suum cuiq; tribuit, non tamen illicò qui neminem lædit, suum cuiq; tribuit: ac proinde, alterum non læderę, non tam ad iustitiæ politicæ habitũ, quàm ad iniustitiæ fugam pertinet: quam latiori quãdoq; vocis significationę, vt Aristoteles in

Rheto-

Rhetoricis scribit, iustitiã appellareq; solemus: quemadmodum Horatius noster stultitiæ inopiam sapientiam esse monstrauit, his verbis: Sapientia prima est stultitia caruisse. Quapropter scitè Aristot. lib. quinto de moribus, cap. primo, ait, leges de omnib. honestatis ac virtutũ generib. præcepta præscribereq; eius habita ratione, vt præsentis status ciuitatis felicitati ac saluti consulat. In populari enim statu cõmunem omnium vtilitatem spectare: in optimatũ administratione, id quod optimis quibusq; utile est: in repub. verò, quod cõfert ijs qui in magistratu sunt. Ad hæc iubet, inquit, omnis lex, & quid viro forti agendum sit, ne videlicet ordines deserat, ne fugiat hostes, aut abijciat arma: & quid temperãti, ne cõmittat adulterium, ne contumeliosè se gerat: & quid mansueto, ne aliquẽ verberibus afficiat, aut maledicat: et quid iusto, vt neminẽm lædat, suum cuiq; tribuat, ne aliena bona, mala fide possideat, neminemq; suo iure defraudet. Ac de cæteris quidem virtutum generibus tum vniuersis, tum singulis, eodem modo sanciunt boni legislatores, hæc quidem iubendo, illa autem vetando. Et vt semel dicam, hoc spectant leges, hoc volunt, incolumẽ esse ciuium cõiunctionem: quæ cùm citra officiorum & uirtutum cõmunicationem consistere nequeat, eos qui illam dirimũt, morteq;, exilio, vinculis ac damno coërcent. Constituunt autẽ opti-

mas ac salutares reipub. leges, nō eam ob causam, vt ipsarum naturam, causas proprietatesq́; tantùm cognoscant, sed vt ciuium ac reipub. vtilitati ac saluti consulant: ad hanc enim tanquā scopum collimantes, exercerē iubent virtutes, hisq́; contraria vitia prohibent. Quòd si quis hæc, quæ à nobis rationē demonstrata sunt, oculata fide cognoscerē desideret, is legat veterum Imperatorū ac Iureconsultorum leges, quas nos Ius ciuile appellamus, multóque prius quas XII. tabularum vocant, ubi omnem virtutis partem non tantùm leuiter degustatam, sed exactissimè ab ijs explicatam adinueniet, vt hac in re longiori confirmationē opus non sit. Legum ergo omnium, quæ bene constitutæ sunt, vltimus scopus, ad quem dirigendæ sunt, est virtus uniuersa, quæ iustitia appellatur, quæ ab Aristotele nō vno in loco eam ob causam legitima, quòd videlicet legis anima & mens & principiū et finis sit, appellatur. Ex quo fit, vt & legislatoris, & Iureconsulti, & magistratus, qui illarum custodes & conditores sunt, hac eadem uirtus ultimum & extremum, ad quod & consilia & deliberationes & responsa referantur vniuersa, sit propositum. Cùm igitur hæc iustitia ciuilis & politica sit quidam scopus ac perfectio, & quoddā, vt dixi, bonum suapte natura ac per se: bonum autem omne per se sit expetibile, et quod expetibilē, habeat

vim

vim mouendi & alliciendi ad se, idcirco fit, vt hoc bonum Iureconsultũ & legislatorem moueat, et ad se sua bonitatę aduocet, ipsumq́; is appetat: appetit autem vt acquirat, acquisitoq́; fruatur. Quoniã non satis est artifici mente gererę hoc bonum, uel ideam huius summi boni, sed multò magis enitendũ ipsi est, ut extra se et in alio adipiscatur ac fruatur. Verbi gratia: ædificator sola domus idea mente formata & conclusa, cõtentus non est, sed eadem extra se cupit potiri, opusq́; aliquod, quod inhabitantium commoditatibus inseruiat, ac reuera sit, post se relinquerę. Et medicus non tantũ sanitatis formam animo concipit, sed expetit quoq; illam extra se in alio, ut in corpore humano efficiat & conseruet, uel amissam reuocet. Quoniam ars, ut dicebat Aristot. est principium externũ, ut natura internum, & habitus effectiuus operis in alio. Pari ergo rationę Iureconsulto non multũ utilę fuerit, iustitiæ imaginem mente ac intelligentia formatã conceptãq́; retinerę, nisi quoq; extra se et in alio, hoc est, in ciuili societatę, cuius ipse custos est, & ad quam hæc uirtus referenda est, potiatur fruaturq́;: tum uerò ob id maximè, quòd cùm reliquæ uirtutes habitusq́; ferè uniuersi, in hominę potissimùm spectentur, ipsiusq́; qui agit, sint perfectiones: iustitia autem ciuilis sola ad alterum, ut superiori loco dictum est, referatur, & alienum bonum, so-

cietatis nimirum, existat. Expetit itaq; Iureconsultus hanc iustitiam, quæ ab idea mentis diuersa est, & huius simulachri & exemplaris expressa & viua quædam forma, in alio, vt ipso fruatur: expeterę enim alteram illam non potest, cùm iam mente conceptam habeat: illaq́; expetantur cupianturq́; tantũ, quæ nondum habentur neq; parta sunt. Quapropter si expetit hoc bonum, vt fruatur in alio (fruitur autem legum occasionę, quarum ipse custos est) necessariò cõcluditur, vt aut ipse leges ciuitati condat, aut conditas iam & constitutas exequatur aut interpretetur. Sed enim neq; condere Iureconsultus leges quatenus Iureconsultus, potest, cùm ad legislatoris officium pertineat: neq; etiam exequi, quod ad magistratus spectare superiori loco à nobis demonstratũ sit: reliquũ igitur est, vt adeptio, &, vt ita dicam, fruitio huius iustitiæ legitimæ, ex vera & vtili legũ interpretatione, vltimus Iureconsulti finis statuatur, quo tanquã termino à superioribus sanè distinguitur. Quòd autem hic sit vltimus eius & extremus finis, ex eo perspici potest, quia omnis finis, ut Aristoteles inquit, est quoddam extremũ, & in qualibet re vltimũ expetibile, quò posteaquã artifex sua actione & operę peruenit, agere tum & operari desinit. Sic medicus acquisita sanitatę, à medicatione abstinet: & ædificator erecta domo, amplius nõ ædificat:

& legislator conditis legibus, ac Iureconsultus dato consilio, & explicata legis mente, ab actione cessat. Hinc quoq; Iureconsulti nomen à cōsulendo traxisse videntur, quòd æquitatem & iustitiam in repub. rectis consilijs tueantur. Quæ autem hunc vltimum finem consequuntur, fructus & vtilitates potius, quàm fines ipsi, ut multi perperàm existimant, iudicandæ sunt: utputa, tranquillitas & pax societatis, reipublicæ, concordia ciuitatū, & quæ his sunt similia. Non enim omne quod extremū & ultimum est, id illicò etiam finis est: quia tria necessariò ad constitutionem naturæ alicuius finis requiri uidentur. Primum est, ut is primò & per se expetatur: quia multa expetuntur non per se, sed alterius, finis nimirum gratia. Alterum est, ut cùm artifex ad eum actionē uel contemplatione peruenit, quiescat: hoc est, sit ultimus & extremus actionis terminus. Tertiū est, vt hoc fine à cæteris artificibus, tanquā propria nota ac differentia distinguatur. Atenim Iureconsultus non primò & per se expetit tranquillitatē reipub. sed iustitiam et æquitatē in repub. causisq; ciuilibus, quam nititur in interpretationē legum & dandis consilijs utilibus & salutaribus conseruarē. hanc custodiam iustitiæ & æquitatis, sequitur tranquillitas, quemad modum sanitatem bona habitudo, robur, pulchritu do, color decorus totius corporis, itemq; sanæ et illæ-

ſæ actiones. Ex hoc loco ſatis apparet, non ſinę cauſa ab Ariſtotelę reprehenſum fuiſſe primo de moribus libro Epicurũ, qui ſummum bonum opinabatur eſſe uoluptatem, ſed non rectè: uoluptas enim ſequitur fęlicitatẽ hominis, quemadmodũ umbra corpus. quanquam alia quoq; ſunt, quæ uoluptati ut fini conuenire non poſſunt, quæ hoc loco prætermitto. Iam uerò etſi tranquillitas reipub. ultimũ & extremũ, quod in ciuitatę ciuiliq; ſocietatę deſiderari poßit, eſſe videatur, tamen hæc non diuidit actiones Iureconſulti, à cæterorum artificũ operibus. Nam & magiſtratus, & legiſlatoris, & militum, & mercatorũ actiones ſequitur tranquillitas & concordia ciuitatis, & ciuium inter ſe: Vnde manifeſtè concludi poteſt, hunc Iureconſulti ultimum finem propoſitum eſſe minimè poſſe.

Ex hac noſtra cõmentationę perſpicuum eſſe arbitror, quíſnam uerus Iureconſulti ſit finis, & quis eius ſcopus, quodq; ipſius officiũ: quæ tria ut non parum inter ſe differunt, ita à pleriſq; aut nunquã, aut certè raro diſtinguuntur. Finis enim, ut Galenus in lib. de optima ſecta ad Thraſybulũ refert, nihil aliud eſt, quàm terminus ultimus et extremus, in quo ceſſat omnis actio, & in quẽ deſinit omnis motus. Scopus autem eſt, in quem dirigitur actio: & dicitur ἀπὸ τοῦ σκοπεῖν, id eſt, à ſpeculando & contemplando:

do: quandoquidē ante omnia artifex ſpeculatur naturam finis, qui cùm aut mentę ſola concipitur, aut extra mentem proponitur, ita vt in illū omnis actio dirigatur, ſcopus fit. Deinde ſcopus propriè, cùm res mouetur, & adhuc quidpiā agimus: finis, cùm moueri res & artifex agerę vel operari deſinit, appellatur, iamq́ illo, quod aut mentę concepit, extra aut intra ſe: vel quod extra ſe propoſuit, extra quoque ſe fruitur. Exempli gratia: Artis certandi curſu ſcopus eſt meta, quæ non animo concipitur, ſed oculis à curſore proponitur: finis eſt victoria, quæ conſiſtit in adeptionę, ſeu, vt ita dicam, fruitione huius metæ: hanc enim adeptus, à curſu quieſcit. atq; hic finis nō re & ſubiecto, ſed ratione tantū à ſcopo differt: quatenus enim meta proponitur, ſcopus dicitur: quatenus autem acquiritur, finis. Verum in artę medendi & ædificandi aliter res ſe habet: quia ſcopus medici eſt ſanitas, & ædificatoris ipſa domus. ſanitas inquā non illa, quæ in alio quæritur, aut domus quæ ædificatur, ſed notio & idea ſanitatis, vel domus mente animoq́; formata, in quam intuens ſemper artifex actiones ſuas in medicationę vel ædificatione regit ac moderatur. Finis autem medici proprius eſt, frui hac ſanitate in alio, vt ædificatoris ædificij extructio: qui certè tota natura & ſubſtantia à ſcopo differt, quia non mentis cōceptio, ſed res exiſtens extra animum

dici potest. Eadem ergo ratione de Iureconsulti & legislatoris & magistratus fine ac scopo statuendum est. Scopus enim his omnibus, vnus propositus esse debet, iustitia nimirũ ciuilis & politica, vel eius notio & cõceptus animo formatus. Finis autem legislatoris, adeptio huius iustitiæ in repub. ex vtilium legum lationẽ. Iureconsulti, ex recta et legitima earũ interpretationẽ. Magistratus verò, ex earum æquabili & iusta executione. Porrò autem officiũ artificis, neq; scopus neq; finis est, sed ab his separatũ: quandoquidẽ vt scopũ sequitur finis, ita officiũ actio, uelu ti facultatẽ operatio. Rursus, vt scopus antecedit officium, & officiũ actionẽ, ita actio finẽ, fineq; tandẽ omnis actio clauditur ac terminatur. Exempli gratia: Oratoris scopus est persuasio: officium verò, bene & appositè dicerẽ: hoc sequitur actio, & ex actione nascitur adeptio persuasionis. Sic medici scopus est sanitas: officium, omnia medicamenta vtilia & salubria, & quicquid ad adipiscendam sanitatẽ vim habet, adhibere: finis, sanitate in alio frui. Et artis certandi cursu finis est victoria: scopus, ipsa meta: officium, velociter currerẽ. Deniq; Iureconsulti scopus est iustitia: officium, recta consilia consulerẽ posse: finis, adeptio iustitiæ legitimæ, parta et acquisita ex recta & salubri legum interpretationẽ, ac cõsiliorum cõmunicatione. Verumenimuero id hoc loco annotasse

tasse non inutile est, finem alicuius rei apud veteres scriptores varijs modis, vt Aristoteles in Physicis libro secundo annotauit, concipi solerę. Etenim aliquando dicitur finis, cuius gratia aliquid fit: aliquando, cui quidpiã fit. veluti ædificatoris finis, cuius gratia domũ extruit, est custodia corporis ab imbre, vento, frigorę, caloreq́, & cæteris cœli tempestatib. cui verò paratur hoc ædificiũ, est ipse homo. Sic medici finis, cuius gratia medetur, est ipsa sanitas: cui verò, ipse homo. Atq; Iureconsulti finis cuius gratia de iure respondet, est adeptio iustitiæ & æqualitatis legitimæ in causis ciuilibus conseruatio: cui hæc iustitia acquiritur, est ipsa respub. et societas ciuilis. Ex his iam perspectum esse arbitror, qua rationę Iureconsultus à legislatore & magistratu differat, quidq́, cum ijsdem cõmune habeat: scopus enim omnibus communis est, finis & officium diuersa. Atqui ne quis fortasse hanc nostram de Iureconsulti fine, scopo & officio sententiam, ementitam, & à nostro Iure ciuili alienam existimarę poßit, is præter ipsam rei naturam, quæ rationibus declarata iam est ac confirmata, etiam veterum philosophorũ ac Iurecõsultorum hac de rę loquentiũ audiat consentientes nobiscum opiniones. Plato equidem in lib. de Legib. sexto, frustra leges in ciuitatę salutares inueniri opinatus est, si non suum, ad quem conditæ sunt, effectum sortian

tur. Etsi enim quidem ipsæ per se, quid faciendũ aut non faciendum sit, ostendant, homines tamen ab ijs deflectentes, neq; vi sua corrigere, neq; ad meliorem mentem reducere possunt. Idcirco necessariũ esse iudicauit in optima repub. custodes quosdam constituendos, qui non tantùm à legibus præscripta executioni mandare, sed & mentem legislatoris perspicuã reddere, quandoq; etiam, si ita res ferret, eas emendare possent, his verbis. ATH. An nescis idem in hac re, quod in pictorum facultate contingere? illa quippe nullum in pingendis animalibus terminũ habere videtur, sed semper inumbrãdo & deumbrando, vel quomodocunq; aliter à pictoribus id vocetur, exornare conatur, nec cessat vnquã. Non enim potest fieri, vt ad pulchriora expreßioraq; incrementum nõ habeatur. CLI. Intelligo fermè audiens quæ dicis: nullum enim artis huius vsum habeo. ATH. Nihil tibi id obfuit. Sed hac fortè nobis allata similitudine sic vtamur. Si quis pulcherrimum animal pingere voluerit, quod non ad peius, sed & ad melius futuro semper tempore progrediatur, nónne vides cùm mortalis sit, nisi aliquem artis successorem reliquerit, qui si quid vel tempore ex animali abolitum fuerit, instaurare, vel per imbecillitatẽ artis ab artifice prætermissum, adijcere poßit, atque ita fulgentius indies animal reddere, laboriosum illud

animal

animal pauco tempore duraturum? CL I. Prorsus. AT H. An nō legislatoris voluntas tibi hæc esse videtur? Principiò quidem, ut leges sibi sufficienter & exquisitè pro viribus conscribantur: deinde procedente tempore & periculo rerum facto, putás ne sic amentem legislatorem aliquem esse, vt ignoret necessariū esse talia multa sibi relinqui, quæ emendatione successoris alicuius indigeant, ne peior quidem, sed melior respub. semper ornatiorq́; efficiatur? CL I. Probabile est: nam quomodo nolle id potuerit? AT H. Quacunq; igitur via poterit, tam re quàm verbis, alium siue maiorem siue minorem docebit, quomodo conseruandæ & corrigendæ leges sint, nec unquam in his dicendis defatigabitur, nisi ad finem perduxerit. CL I. Ita certè. AT H. Nónne id mihi & vobis in præsentia faciendum? CL I. Quid ais? AT H. Quoniā leges laturi sumus, et legū custodes creati sunt, nos aūt ad occasum vitæ appropinquamus, & custodes isti nobis iuniores sunt, oportet nos, vt diximus, leges ferre, simulatque hos tam legūlatores quàm custodes, quoad possumus, facere. CL I. Quid ni? dummodo id satis fieri queat. ATH. Veruntamen impensius annitamur. CLI. Nihil prohibet. ATH. Sic ergo ad eos dicamus: O amici legum conseruatores, permulta in singulis nos qui leges ponimus, necessariò

relinquemus, quæ tamen non parua erunt: imò & rem omnem pro viribus exteriore quadam circumscriptione significabimus, quam quidē impleri à uobis oportebit. Quò verò id facturis nobis respiciendum est, audite. Megillus, egoq́; & Clinias hæc inter nos sæpenumero diximus, & probè nos dixisse conuenimus, vosq́; rogamus, vt & indulgere nobis, & imitari quasi discipuli magistros velitis, ad ea ipsa respicientes, ad quæ legumlatori & custodi respiciendum concorditer nos consentimus. Huius consensionis caput est, vt homo bonus efficiatur, habens virtutem animi hominis propriam, studio aliquo partam &c. His verbis diuinus noster Plato, quod proprium legislatoris & custodis legū, quem & magistratum & Iurisperitū esse constat, officium sit, ad viuū descripsisse, & quo omnes hi in gubernanda ciuitate & repub. vt quāfelicissimè viuat, respicere debeant, perspicuè indicasse videtur. Nam hoc conandum est, et in id omnes animi cogitationes intendendas esse vult, ut homines boni, hoc est, prudentes, iusti, fortes, atq; temperantes efficiantur. Quod vt adipisci possis, initio legum exactissima, quātum fieri potest, descriptione opus est. Deinde quoq; earum, vt ad salutem et concordiā ciuium inter se retinendam conducant, conseruatione atq; propagatione. Quid enim, vt ille inquit, iuuaret, multa studio ac di-

ac diligentia quæsyſſe, ſi eorum quæ iam laborē parta & acquiſita ſunt, nulla eſſet vtilitas, nulla conſeruatio, nullumq́; eorum incrementum? Atqui & pictores cùm pulcherrimum aliquod animal pingerē volunt, nō prima illa atq; rudi & obſcura lineamentorum deſignationē contenti ſunt, ſed indies magis atq; magis artificioſa colorū deumbratione, eorumq́; adiectione & detractionē, imaginē ſpecioſiorē pulchrioremq́; reddere conantur. Quid eſt autem in hac tota rerum vniuerſitate præſtantius, quid magis ſecundum naturam optabilius, quàm ſocietas & coniunctio hominum inter ſe, cuius neq; congregandæ, neque conſeruandæ & agendæ terminus vllus reperiri poteſt? Rectè ergo Plato non tantùm rempub. bonis ac ſalutaribus legibus inſtituendam, ſed & in iyſdem retinendā, atqueadeo omnibus temporibus ad felicitatem promouendam eſſe exiſtimauit. Cùm autem fieri nequeat vt legislatores, ac primi illi ciuitatis conditores, cùm mortales ſint, perpetuò viuant, aut ſi quāmaximè viuant, ius tamen ciuibus adminiſtrare, legūq́; præcepta pro dignitatē exequi, quandoq; etiam conſtituta in meliorem ſtatum traducere & emendarē non poſsint: idcirco & magiſtratu, qui iura redderē, & præſcripta à legislatore ad effectum perducerē valeat, et ſucceſſore aliquo, qui partim nōnulla in prima poſitione legum peccata & er

rata vsu & experientia rerum edoctus, emendarę atque corrigerę, partim verò legislatoris mentem ex æquo & bono ad cōmoditatem reipub. explicarę, necessariò requiri opinatus est. Vnde rectè Pomponius in tit. de orig. Iuris ait: Per eos qui iuri dicundo præsunt, hoc est, magistratum, effectum rei accipi: parumq; esse ius in ciuitate esse, nisi quoq; sint qui iura reddere poßint. atq; constare ius non posse, nisi sit aliquis Iurisperitus, per quem poßit quotidie in melius produci. Et Aristot, lib. sexto Polit. scribit, nihil prodesse de rebus iustis iudicia dare, aut sententias ferre, nisi quoque sint qui eas executioni mandent: ideóq; νομοφύλακες, *id est, custodes legum ac reipub. tum à Platone, tum à Iureconsulto hi appellantur, quòd alter constituta à legislatorę, sua autoritate ad effectum deducat & executioni mandet, alter mentem legislatoris ex æquo & bono interpretetur; & quæ omissa vel ex ignorantia vel rerum imperitia ab eo sunt, adyciat, atq; interdum etiam malè constituta corrigenda suadeat. Hæc tamen singula propterea in ciuitate reperiri manifestum est, vt societas hominum, atque in hac ipsa, iustitia & felicitas, vt Plato & Aristot. præcipiunt, cōseruetur, et augeatur semper: & ad hanc tanquam scopum, referantur consilia, deliberationes, actionesq; & studia, & instituta huius vitæ vniuersa. Marcus Tullius Cicero, lib. primo de*

mo de Oratore, apertius Iureconsulti scopum & officium nobis descripsit. Scopū quidem, cùm inquit, Iuri ciuili nullum aliud propositum esse, quàm legitimæ atq; vsitatæ in rebus causisq; ciuium æqualitatis conseruationem: neq; enim legitima æqualitatis conseruatio aliud quiddam est, quàm iustitia, ad quam omnis legum disciplina dirigitur. Iustitia enim in æqualitate quadam cernitur, tum arithmetica, tum geometrica. at æqualitas est legitima, legitimū autem omne, iustum. Finem verò & officiū his verbis: Nihil profectò clarius esse potest, quàm honoribus & reipub. muneribus perfunctum senem, posse suo iure idem, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, vnde sibi, si nō populi & reges, at omnes sui ciues consilium expetant:

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope
Incertis certas, compotesq; consilij
Dimitto, vt res ne temerè tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus Iureconsulti, totius oraculum ciuitatis. Testis est huiusce Q. Mutij ianua & vestibulū, quod in eius infirmissima valetudine, affectaq; iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuiū ac summorum hominum splendore celebretur. Eodemq; in libro Iurisconsultū illum esse inquit, qui legum & consuetudinis eius, qua priuati in ciuitatē vtuntur, & ad respondendum, & agendum, & ca

uendũ peritus eſt. Et in lib. de Legib. Iurecõſultos eſſe ait, qui cõſuluntur, & reſpondent de iure, et ius interpretari populo ac reſpondere ſolent. Quibus conuenit Stoicorum deſcriptio, qui legiſperitũ eum eſſe volunt, qui legẽ rectè interpretari calleat. His enim omnibus officium ac finis Iureconſulti verè exprimitur: ſuntq́ue Ciceronis & Platonis dogmata, noſtrorũ Iureconſultorum placitis & decretis conſentanea. Nam & Vlpian. ius à iuſtitia appellatũ eſſe ait, quòd ius nihil aliud ſit, quàm ars boni & æqui: & Iuris ciuilis ſcientia iuſtitiæ conſeruandæ cauſa inuenta: meritoq́ue Iurecõſultos ſacerdotes appellari debere, quòd iuſtitiam colant, boni & æqui naturã profiteantur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitũ ab illicito diſcernentes, bonos non ſolùm metu pœnarum, verumetiam præmiorũ exhortatione efficere cupientes, & veram niſi fallor philoſophiã affectantes. Quos hîc Vlpianus ſacerdotes, eos Imperator conſtit. ſecunda, optimos reipub. miniſtros, & maximos iuſtitiæ ſatellites appellat. Vt ergo ſacerdotes Deo Opt. Max. dicati ad ſacrificia facienda ſunt, ita Iureconſulti iuſtitiæ omnium virtutum reginæ ac principi mancipati, illã quaſi deam colunt, in Iure velut in ſacro quodam & templo eius ſacroſancto verſantur, & reſponſa inſtar Appollinis ſacerdotũ dare ſolent, boni et iuſti tam ciuilis quàm naturalis, honeſti et legitimi

natu-

naturalis cognitionẽ profitentes, æquum ab iniquo, & natura & conuentione, iustum ab iniusto discernentes: bonos iustosq́; ciues, tam propositis virtuti præmijs, vt honoribus, dignitatibus, pecunia, quàm pœnis corporalibus & pecuniarijs ad vitia coërcenda, efficere cupientes: veram profectò philosophiam (cuius iustitia & felicitas humana scopus & finis est) non simulatam, & imaginationibus & speculationibus, sed actionibus dicatam, neq; ad opes, potentiam voluptatesq́; constitutam, affectantes. Atqui hæc quidẽ de iure publicè respondendi facultas, ut Pomponius lib. iij. de orig. Iuris, scriptum reliquit, ante tempora Augusti, non à Principib. dabatur, sed qui fiduciam suorum studiorum habebant, consulentibus respondebant: neq; responsa vtique signata dabant, sed plerunq; iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur, qui illos consuluerant. Primus diuus Augustus, vt maior Iuris autoritas haberetur, cõstituit vt autoritate eius responderent: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideo optimus Princeps Adrianus, cum ab eo viri prætorij peterent, vt sibi liceret responderẽ, rescripsit eis, hoc nõ peti, sed præstari solere: id est, nõ tantùm honestè peti, sed etiam præstari solere: & ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendũ se præpararet. Idem ergo hoc nostro tempore Iureconsultorũ de Iu

re respondendi officium, eandemq́ue iustitiam illis tanquam scopum propositum esse deberé in dandis consilijs, quis nõ videt? Sed hoc interest, quòd veterum illorum Iureconsultorum responsa vim legis habebant, vt Iustinianus annotat, à quibus recedere non licebat: nostrorum verò Dd. sententiæ probabiliter iudici persuaderé possunt, cogere non possunt, vt rectè Accursius in Instit. de iure naturali, gentium et ciuili. item l. prima, Cod. de Legib. admonuit. Quinimò omnes quinquaginta Pandectarũ libros, ex varijs variorum responsorũ libris, Imperator in epist. de veteri iure enucleando, collectos atq; compositos ait. Ex his omnibus veritas nostræ de fine, scopo & officio Iureconsulti sententiæ perspici potest. Statuamus ergo, finem Iureconsulti nullum alium esse posse, neq; unquam fuisse, quàm conseruationẽ & adeptionem iustitiæ æquitatisq́ue in rebus causisq́ue ciuilibus, ex recta & legitima legum interpretationé, responsioneq́ue oriundam.

Sed hoc loco statim rogauerit quispiam, qua ratione hic poßit esse finis Iureconsulti, cùm fieri nequeat, vt semper hac iustitia potiatur, eáq; fruatur, sed quandoque ipsa frustretur. Huic sic interroganti respondendum esse puto, finem esse duplicem, interiorem & exteriorem. Interior est idea exterioris, in quem quia respicit in actioné artifex, scopus dicitur.

citur. Exterior, cuius gratia quidpiam fit, appellatur. Fine igitur interiore & scopo nunquam frustratur artifex: illum enim semper mente conceptũ retinet, quia est constans & perpetua voluntas, ius suũ vnicuiq; tribuendi. Exteriorę fine non semper potiri artifex potest, sed quandoq; à recto aberrat: neque enim labi nunquã hominis artificis, sed quàm raro, opus esse existimatur. Ac præclarè Iustinianus vbi πεὶ ἀντινομίας legum loquitur, sic inquit: Si quid autem in tanta legum compositionę, quæ ab immenso librorum numerò collecta est, simile forsan rarum inueniatur, nemo vituperandam existimet, sed primùm quidẽ imbecillitati humanæ, quæ naturaliter inest, hoc adscribat: quia omniũ haberę memoriam, & penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quàm mortalitatis est: quod & à maioribus dictum est. Atq; idcirco si vel medicus in curandis centum hominibus semel aut iterum, aut Iureconsultus aliquoties respondendo & consulendo peccet, & à proposito scopo aberret, uenia digni esse iudicãdi sunt, cùm quod semel aut bis accidere solet vel accidit, in nulla considerationę haberi debeat. Id tamen animaduertere oportet, artificem suo fine frustrari plerunq; non ratione artis, cuius comprehensio certa est, sed ratione materiæ in qua versatur, aut instrumentorũ quibus vtitur: quæ quia mutantur & variant, sua in-

constantia ac mutabilitatę actionem artificis impediunt. Veluti medicus etsi diligentissimè omnia quæ ad comparandã sanitatem pertinent, admoueat, attamen sæpenumero vel ægroti vel astantium vitio, vel proprietatę corporis, adeptione sanitatis potiri nequit. Quod etiam in ipsa natura locum habet: ea enim nõ ex semine marẽ, quod tamen propositũ habet in efficiendo animali, gignerę potest semper, sed quandoq; vel fœminã vel monstrum eius loco producit: quod quidem accidere videtur propter vitiũ & culpã materiæ, quæ huiusmodi formæ capax esse non potuit. Sic Orator non semper persuadet, quoniã animi auditorum & iudicum, affectibus, amore uel inuidia præpediti, vel pecunia & honoribus corrupti, de rebus non rectè iudicare solent. Itaq; Iureconsultus etsi aliquando suo fine frustratur, nihilominus tamen bonus artifex esse, quia vtplurimum id quod voluit assequitur, iudicandus atque censendus est. Hanc ego mea quidẽ sententia, arbitror esse veram scopi, finis atq; officij Jurecõsulti explicationẽ, eamq; & veterum philosophorũ & Iureconsultorum placitis, ipsiq; adeò rerum verita ti conformem atque consentaneam.

PRIN-

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER SEXTVS.

CVM ars ac disciplina omnis sine quodam ultimo, ad quem praecepta & theoremata referuntur uniuersa, et materia seu generę subiecto, cuius uel passiones & affectiones contemplatur, uel modum acquirendi & fugiendi eas ostendit, constet: fit ut ex horum duorum consociationę atq; coniunctione, eius natura nō coalescat tantùm, sed etiam perfectè cognoscatur. Cognoscitur autem unaquæque res, quæ uel ex his definitur, uel in suas partes ac proprietates dissoluitur. Definitur inquam ac dissoluitur, quia duo sunt præcipua cognoscendarum rerum instrumenta, definitio et demonstratio: quæ ita inter se differunt, ut res quæ cognoscuntur et quæruntur. Cognoscuntur & quæruntur aut rerum essentiæ & naturæ, aut earum proprietates. Essentia & natura definitionę explicatur: propriæ affectiones, demonstratione de generę subiecto probantur. Bene ergo est, si post generis subiecti & finis explicationem, Iurisprudentia propria sua definitionę, ut eius natura exactè perspici, & perspecta in suas partes facilius diffundi ac resolui posit, describatur. Rectè enim Cicero, in omni disceptationę, quid unaq; res sit, initio aperiendū esse censet, ut non tan-

tùm qua de re tractetur, nõ ignoretur, sed etiam animus ad discendum, perspecta alicuius artis vel scientiæ natura, magis inflãmetur. Omnis ergo definitio nihil aliud est, quàm breuis quædam oratio, quæ naturam & substantiam rei alicuius declarat. Natura & substãtia rei, ex causis, principijs, et elementis cernitur: ideoq́; omnis definitio ex principijs petẽda est. Vt autem aliarum rerum causæ, & materia, & forma, & efficiens, & finis sunt, ex quibus cõstant, ita artium ac disciplinarum principia sunt genus subiectum vel materia, & finis: atq; ex his etiã definiendæ nobis sunt, earũq́; partes inuestigãdæ. Hinc colligi potest, varias vnius & eiusdẽ rei vel scientiæ descriptiones afferri posse. Aliquando enim à generę subiecto vel fine tantũ, vel vtroq;, fit definitio. verbi causa: Artis medicæ genus subiectum et materia, in qua modum agendi & acquirendi paßiones ostendit, est corpus humanum, quatenus sanitati & morbo est obnoxium: finis, sanitatis acquisitio, & custodia vitæ. Et philosophiæ subiectum est res diuina et humana, quatenus res est: finis, similitudo Dei, quatenus fieri potest: vel, vt Plato inquit, meditatio & cogitatio mortis. Rursus, astronomiæ materia in qua versatur, est corpus uel corpora cœlestia: finis, motus ac mutationis eiusmodi corporum cognitio. Hæ ergo disciplinæ omnes tribus modis definiri possunt,

quorum

quorũ duo à materia & fine, tertius ab vtrisq; coniunctim sumitur. A materia & genere subiecto: veluti, medicina est ars, quæ versatur circa corpus humanum, quatenus sanabile & ægrotabile. Philosophia est diuinarum atq; humanarum rerum, vt res sunt, scientia. Et astronomia, cœlestium corporum comprehensio. A fine: vt, medicina est ars tuendæ valetudinis ac profligãdi morbos. Et philosophia est vel meditatio mortis, vel similitudo Dei. Et astronomia est scientia, quæ cõtemplatur motiones cœlestes. Ab vtroq;: vt, medicina est ars tuendæ valetudinis in corpore humano. Philosophia, humanarum & diuinarum rerũ scientia, vt habeatur similitudo Dei. Astrologia est ars corporũ cœlestium, eorumq; motionum cognitio. Sed hoc inter huiuscemodi definitiones interest, quòd illæ quæ à solo fine et genere subiecto sumuntur, imperfectæ sunt, neq; totã rei naturam & substantiam explicant. Quæ verò ex vtroq; composita est, omnibus ex partibus est absoluta, ac plenißimè quid res sit, demonstrat. Ex his duobus quasi fontibus, nostræ quoque Iurisprudentiæ deductæ sunt descriptiones: Vlpianus enim Ius artem boni & æqui esse dixit, qua finem Iurisprudentiæ complexus est. Ius hoc in loco pro Iurisprudentia, & arte Iuris ac iustitiæ accipiendũ est: hæc enim vox, vt notat Paulus Iureconsultus, varias habet significa-

tiones. Vna est, cùm id quod semper æquũ ac bonum est, designat: vt est ius naturale. Altera, quum id quod omnibus aut pluribus in quacunq; ciuitate vtile est: vt est ius ciuile, & ius honorariũ. Prætor quoque ius reddere debet, etiam cùm iniquè decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod prætor ita fecit, sed ad illud quod pretorẽ facere conuenit. Alia quoque significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur, appellatione collata ab eo quod fit, in eo vbi fit. Nonnunquã etiam ius pro necessitudine dicimus: ueluti, est mihi ius cognationis vel affinitatis. Ad hæc & pro facultatę & potestate concipitur: quo modo seruitutes prædiorum, actiones, obligationes, hæreditates, iura dicuntur, id est, potestates aliquid faciendi iure factæ: quæ res & in iure consisterę dicuntur, quòd ius faciat eam potestatem. Sic iure stirpis, iurę agnationis, iure gentis, iurę patris, iure domini, iurę hæredis, iure magistratus, iure pignoris, iure optimo, iure suo, iure alieno quid facerę dicimur, quòd ius faciat nobis illam potestatẽ, vel ei cuius iure facimus. Deniq; pro habitu animi & præceptis iustitiæ in artem redactis accipi solet, qua significationę hoc in loco vsus est Celsus & Vlpianus: neq; enim per artem, habitum effectiuum & ποιητικὸν, sed disciplinam, & quæ præcepta ac theoremata ordine ac methodo inter se cohærentia ad vsum huius vitæ vtilia contineat,

neat, intelligerę oportet. Ius enim nil efficiendũ, sed agendum tantùm præcipit, omnisq; eius consultatio ac deliberatio in actionę posita est. Iuris ergo genus in definitione est ipsa ars: differentiæ & finis, bonúm & æquum: his enim ius à cæteris habitibus ac disciplinis distinguitur. Bonum autem & æquum nihil aliud est, quàm iustum et iustitia ipsa, quæ est scopus & mens & ratio legis: Græci vna voce ἐπιείκειαν appellant, quasi quæ omnia moderetur ex præscripto rationis, & de suo iure facilè cedat iustitiæ ac bonitati. Porrò bonum latius patet quàm æquum: multa enim bona sunt, quæ æqua non sunt: atq; idcirco videtur esse genus ipsius iusti & æqui: vnde etiam omne æquum est bonum, sed non omne bonum est illicò æquum: nam & instrumenta, vt honores, diuitiæ et artes, & res naturales, sunt bona quædam, non tamen dicuntur æqua: quia æquitas propria est ipsius iustitiæ & legis, quæ idcirco dicitur bonum, quòd vt illa in æquabilitatę & parilitate, ita hoc in facilitatę consistit. Est autẽ propria ipsius legis hæc ἐπιείκεια, propterea quòd iusti legibus comprehensi, quædã est interpretatio, & correctio, & emendatio. Nam primum eius munus est, vt legem non ex verbis interpretetur, sed ex eorũ qui eam tulerunt, sententia & consilio: quippe cùm, vt Celsus ait, scire leges, non sit verba tenerę, sed earum vim ac potestatem. quam

expositionem Iureconsulti benignam Iuris interpretationem vocant: Cicero laxamentũ legis, in oratione pro Cluentio appellat. Celsus: Benignius leges interpretandæ sunt, inquit, quò voluntas earũ conseruetur. Huic opponitur dura illa earũ interpretatio, quæ verborum angustijs, & literarum ac syllabarũ inclusa angulis, non ad salutem & cõmoditatem hominum, sed ad seueritatem & duritiam producitur: Græcis ἀκριβοδίκαιον, quiq́; hac vtuntur, ἀκριβοδίκαιοι nuncupantur, id est, acerbi & maligni Iuris interpretes. de quo Tullius in Officijs: Existũt etiam sæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida Iuris interpretatione: ex quo illud, Summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermonę prouerbium. Terentius summam malitiam, Columella summam crucem veteres putasse ait. Iureconsulti nostri propriè ius strictum vocant, quod non in æquitatę & benignitatę, sed in verborũ angustijs & exacta illa vocum ac literarum obseruationę positum est, & menti ac rationi legis planè est repugnans & aduersarium. verbi gratia: Lex est, qui muros transcenderit, capite puniatur. Accusatur qui in summo ciuitatis periculo, transcendens murum hostem fugauit: hic certè ex scripto & verbis legis damnandus videtur, sed tamen voluntatę & sententia legumlatoris defenditur. Alterũ huius æquitatis ac bonitatis offi-

cium

cium, in rerum quæ legi deesse uidentur, emendatione & additione positũ est. Duplex autem habetur legis correctio & emendatio. Vna est, quæ propriè abrogatio appellatur, cùm autoritate magistratus, voluntate Principis, suffragio legislatoris, quandoq; etiã tacito consensu omnium per desuetudinem, vt Iulianus ait, penitus tanquam perniciosa & inutilis tollitur: atq; hæc ad æquitatem minimè pertinet, quæ leges non subuertit, sed earũ mentem tantùm seruat. Altera emendatio legis est, quæ in supplendis his quæ legi abesse videntur, cernitur. Quod ita accipiendũ est, Leges, inquit Vlpianus, non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. Et Iulianus, neq; leges neq; senatusconsulta ita scribi posse ait, vt omnes casus qui quandoq; inciderint, comprehendantur, sed sufficere ea quæ plerunq; accidunt, contineri: cuius rei ratio partim ex rei natura, partim ex persona legislatoris pendet. rei quidem natura, propterea quòd plura sunt negocia, quàm rerum vocabula, vt dicit Vlpianus de præscript. verb. & actionum humanarum vis & natura nõ eodem modo se habet semper, sed est varia & mutabilis, ita quidẽ, vt quod secundum se iustum est, quandoq; iniustũ fiat: veluti, reddere depositum secundum se iustum est, sed reddere furioso gladium depositum, iniustũ. Atq; incidunt, teste Cicerone, sæpe tempora, cùm ea quæ maximè ui

dentur digna esse iusto hominę, eoq́ quem virũ bonum dicimus, cõmutantur. Hæc ergo negocia quia propter multitudinẽ circunstantiarũ, loci puta, temporis, personæ, & aliorum, subinde variant ac mutantur, lege ad amussim comprehendi non possunt: satisq́ est legem generaliter ac simpliciter loqui, vt æquitati quæ pro natura & generę actionis omnia tẽperet ac moderetur, locus sit. Persona uerò legislatoris tum in causa esse solet, cùm quãdoq imprudentia, quãdoq voluntatę aliquid ipsius legibus prætermittitur. Imprudentia, cũ nemo tanto iudicio præditus esse poßit, qui omnia quæ possunt accidere, queat præuiderę, et quasi diuinare: satisq́ sit earum rerum genera, quæ plerunq euenirę solent, simpliciter animaduertisse ac notasse. Consultò deniq ac industria legumlatores multa omittunt, in quorũ descriptione & difficilis & infinitus continetur labor, & studiũ inutilę, vt Aristot. primo Rhet. tradit: veluti si quis non modò describat vulnera, sed & ferrum, & modum, magnitudinem & genus ferri, quo vulnus est illatum: hic sit infinitus oportet, si velit ad extremũ omnia persequi, & operam præterea luserit, cùm res infinitæ, neq enumerari, neq scripto comprehendi unquam valeant. Quare si ratio hæc omnis dubia et incerta, leges autem scriberę ac statuere summa vitæ neceßitas flagitet, verba earum simplicißimè ac gene-

generatim cōcipienda sunt, atq; ea adhibēda diligentia est, vt quæ cōprehendi lege volumus, idonea voce complectamur, ne quid omissum, ad peccandū homines inuitet: aut ita strictè & angustè concludantur singula, vt cùm res postulabit, non sit æquitati, nō sit veniæ aut acerbitati locus. Est enim cùm exacerbationem pœnæ æquitas ipsa postulat: est cùm remissionem aut ex toto, aut ex parte desiderat. Quapropter ab Aristotele hæc ἐπιείκεια normæ Lesbiæ comparatur, quæ quòd plumbea esset, & in omnes partes flexibilis, nō ad regulam suam structuras exigebat, sed cedebat ipsis, & ad lapidis formā sese subinde immutabat atq; accommodabat. Ita pro rerum negociorumq; ciuilium natura & conditione, vim legum mutat æquitas, & aptat vnicuiq; actioni congruenter, inuestigans diligenter quo consilio, quo animo, quo loco, quo tempore, qua vel occasione vel necessitate vnūquodq; factū dictúmue sit. Quo in loco mihi non rectè sentire videntur illi, qui existimant æquitatem esse clementiā propriè, aut clementiæ finitimā, atq; seueritati contrariam: æquitas enim semper legi coniuncta est, sequiturq; eam, siue tendat ad humanitatem, siue ad acerbitatē. Sæpeq; fieri solet, vt seuerius quàm lex præscripserit, delicta & facinora puniantur: neq; iniustè, sed iustissimè & æquissimè faciant illi, qui pro rei atrocitate vel magnitudi-

ne pœnas metiuntur. At clementia non legi vicina est, sed eidem cōtraria: neq; iustitia innititur, sed à libera voluntate tantùm proficiscitur. Vnde illi quoq; falluntur, qui clementiā iudici attribuunt, cùm hæc sola Principis sit, aut illius magistratus qui parem habet cum Principe in iudicando potestatem. Aequitatis autem studiū vtriusq; est. Aequitas ergo, si id quod res est spectamus, nil aliud est, quàm recta ratio, quæ & ius naturale, & ius gentium à nostris Iureconsultis appellantur. Vnde Tullius in Topicis inquit: Aequitas est, quod naturalis ratio persuasit. Et Paulus Iureconsultus: Ius naturale pluribus modis dicitur: vno modo quidem, quod semper æquum ac bonū est, dicitur, &c. Hoc tamen interest, quòd ius naturale per se spectatur, & quid faciendū, aut non faciendum sit, præcipit. Aequitas ex eorum numero est, quæ cum alio conferuntur: quippe cùm ad legem referatur, cuius vel emendatio vel interpretatio est: neque vlla æquitas est, quæ alicuius legis æquitas non sit: neq; ulla lex est, quæ, ut sic dixerim, alicuius æquitatis lex nō sit: perinde ut pater nullus esse potest, ubi filius non sit: uel filius, ubi pater. Lex autem ut duplex est, ciuilis nimirum & naturalis, ita duplicem quoq; æquitatem esse necesse est: nam & naturalis illa, quæ Ius gentium appellatur, æquitatę quandoque temperari solet. Verbi causa: Ius naturæ præci-

præcipit, dictorum omnium fidem præstandam esse: ius gentium ad eos tantũ contractus restrinxit, qui & frequentiores sunt, & ad hominum vsus magis necessarij, quos nominatos vocamus: & ad eas conuentiones, quas iam rei interuentus aliquo modo firmasset. quo quidem iure gentium iudex ita tenetur, vt ab eo discederẽ, neq; contrarium decreto statuere posit. Et lex ciuilis eam stipulationib. vim addit, vt illa obligatũ condemnet, nudo pacto constrictũ absoluat. Homines tamen omnes æquitas naturalis inuitat, ad conseruationẽ omniũ pactorũ & dictorum, siue stipulationẽ, siue nudo tantùm pacto atq; simplici promißionẽ contracta sit. Qua ratione & Prætor, qui addixit se pacta seruaturum, dicitur ab Vlpiano secutus naturalem æquitatem. Ex quo facilè colligi potest, omnem æquitatem etsi legi adhibeatur, scriptis tamen nunquã comprehendi: uel si quando q; scribatur, æquitatis nomen amitterẽ, non quòd iustum id non sit, vel à suæ naturæ proprietate discedat, sed quòd nominis vim amittat, quæ in relatione cernitur, perinde vt seruus mortuo domino, non hominis, sed serui naturam mutat. Quæ ergo in legibus explanandis æquitas nominatur, eadẽ in contractibus bona fides appellatur, quæ aut in natura, aut in legibus posita est, de qua Trypho: Bona fides in cõtractibus summam æquitatem desiderat, &c.

Ex his patet, æquitatem nihil aliud esse, quàm iustitiam seu ius ipsum, quod in legum, vt recta ratio dictat, interpretationę, earundémue correctione, & cõtractibus dictorũ factorumq́; bona fide obseruandis, cernitur. Probè igitur admonuit Aristot. æquitatem non esse à iure & iustitia generę diuersam, sed ratione tantùm differrę, quatenus æquitas iure legitimo perfectior est, eiusq́; quasi mens & sententia: cuius sententiam si quis exactius intelligerę desideret, libros ab eo de moribus conscriptos adeat, vbi perfecta eius, sicut & aliarum rerum similium, natura & proprietas explicatur. Atq; hæc quidẽ Iurisprudentiæ descriptio ex fine petita est, vt nuper dixi.

Altera verò eius quæ generę subiecto & materia constat, à Iureconsultis, nisi fallor, tradita nõ est. Potest tamen hoc modo commodè definiri: Iurisprudentiam esse habitũ quendam, seu artem, quæ in moderatione actuum & negociorum ciuilium versetur. actiones enim & negocia ciuilia, sunt materia Iurisprudentiæ, vt sæpe antea confirmatum est. Sed vtraq; hæc definitio integra non est, neq; perfectã Iurisprudentiæ naturã explicat, cùm alteram tantùm eius partem cõplectatur. Quapropter Vlpianus exactam proprio generę subiecto atq; fine constantem tradidit descriptionẽ, cùm inquit, Iurisprudentiam esse diuinarum atq; humanarũ rerum notitiam, iusti

& in-

& iniusti scientiam. In qua quidem definitionē debitus ipsarum partium ordo seruatur, et res per omnia sua mēbra explicatur. Quid enim aliud hæc ars profitetur, quàm cognitionem iustarum & iniustarum actionum? quæ inde ortum habent, quòd intelligamus qua rationē homines sint sociati dijs, & homines ipsi inter se: in quibus tanquam subiectis, quid iustum iniustumq; sit, scientia demonstrari, hisq; explicatis, fons legum & vtriusque Iuris inueniri potest. Quod Cicero lib. primo de Legib. eruditè ac luculenter tractauit, inde nimirum Iurisprudentiæ cognitionem petendā esse iubens, vt animaduertamus, quo vinculo homines socientur dijs, & ipsi adeò inter se. Ex his enim præceptis, & quæ officia Deo præstarē debeamus, cognoscere, & quæ homines hominibus, nos planè intelligere. Porrò diuinarum harum atque humanarū rerum cognitionem, ipsamq; hominum cum dijs & hominibus coniunctionem ac societatem, simpliciterq; actionū ex his duobus fontibus descendentium comparationem seu analogiam, Vlpianus aptissima vocē notitiam nuncupauit: quandoquidem omne genus subiectum, & materia artis seu scientiæ, non scientia demōstrationis, sed notitia quadam meliori cognoscitur, & vt Aristot. inquit in libro Analyt. posteriorū, tanquam notum & manifestum ponitur: de quo proprietates ac passiones postea

ſcientificè demomonſtrantur, earumq́ comprehenſio ſcientia appellatur. Quod & in Iuriſprudentia locum habet, in qua actiones earumq́ differentiæ initio ratione diſtribuuntur, & quid iuſtum vel iniuſtum in iјs ſit, demum ex veris & politicis cauſis ac rationibus ciuilibus demõſtratione oſtenditur: quarum præceptionũ habitus parit ſcientiam. Atq́ hæc quidem de natura Iuriſprudentiæ, eius fine ac genere ſubiecto, & docẽdi ordine, itemq́ an ars vel ſcientia, & in quo genere artium habenda ſit, dixiſſe impræſentiarum ſat eſt.

PRINCIPIORVM IVRIS LIBER SEPTIMVS.

CVM multæ res non inutiles in Iure ciuili nequaquã ſatis adhuc explicatæ ſint, tum perdifficilis & perobſcura quæſtio eſt, de methodo atq́ ordine docendi diſcendiq́ Iuriſprudentiam: quæ cùm non tantùm ad conſtitutionem perceptionemq́ omnis artis ac diſciplinæ vtilis eſſet, ſed & neceſſaria, factum eſt vt multi, iјq́ non indocti hoc noſtro tempore Iurecõſulti, hac de re multa, ſed parum feliciter ſcripſerint: tanta enim eſt & tam uaria ſententiarũ opinionumq́ varietas ac diſcrepantia, vt uerè dici poſsit, quot capita, totidem fuiſſe ſententias,

tentias. Pleriq; (vt dicam quod res est) in eo errorę constituti sunt, vt ne artificiose quidem tradi præcepta Iuris posse existiment. Quidam etsi id fieri posse intelligant, ipsi tamen & de suis & aliorũ ingenijs in constituenda arte desperant: ac proinde relicta regia & magnifica & plana atq; perspicua, quæ ordine progreditur via, inueteratã pene, sed barbaram, perplexam & infinitam sequuntur docendi scribendiq; consuetudinem: qui eo grauius quàm priores illi peccant, quòd à re, quã & fieri, & vtiliter fieri posse sciunt, tam negligenter abstineant. Sunt præterea non pauci, qui in infinitatę illa causarũ ciuilium certas quasdam rerum classes ac principia, artis similitudinem referentia, animaduerterunt, eamq; rem si non perfectè, quod difficillimum est, vtiliter tamen, et ad studiosorum cõmoditates & ingenia adiuuanda, vtrunq; accommodatè facere aggreßi sunt. Huius controuersiæ causam extitisse nullam aliam inuenio, quàm quòd ordinis & methodi vis & natura, eius partes, vsus & officium, itemq; res ad constitutionem artis necessariæ, plerisq; non satis fuerunt cognitæ: quæ si omnia homini nõ adsint, fieri nequit vt de hac quæstionę quæ in dubitationem cadit, certi quidpiam affirmetur aut cõstituatur. Quid enim cæcus de coloribus, aut surdus de sonu iudicabit, cùm vterq;, & quid color & sonus sit, & quot eorũ sint

differentiæ, non intelligat? Ac ne architectus quidē, vt & cæteri artifices omnes, domum aut quamuis aliam structurā ædificaturus est, nisi prius quæ ædificij natura, quot eius partes, & quis singularum partium vsus sit, exactißimè cognouerit. Quapropter vt via quadam ac rationē, nostra hac de re instituatur disceptatio, initiò ipsius negocij, de quo disputatur, natura explicanda est, & vtriusq; termini, prædicati inquam & subiecti, vis declarāda. Quæ enim multorum hodie in discutiendis dubitationibus seu quæstionibus in vtranq; partem disserendi solet esse consuetudo, illa non inutilis solūmodo, sed & superuacanea est, si intra dubitationis tantū terminos constituta, vlterius inuestigationē veri non progreditur. Nam & sophistæ & rhetores probabiliter, etiā non perspecta rei natura, cōtenderē & litigare possunt: verùm inuenire, rerumq; principia & causas cernerē non possunt: quod tamen facerent, si certa & vera docendi rationē vterentur. Vnde Aristot. in Metaphysicis, vt aliàs sæpißime, admonuit, probabili in vtranq; partem disputatione, obscuritatem ac difficultatem propositæ rei potius indicari, quàm liberè et sine fuco dissolui. Verùm de Iurisprudentiæ natura, satis in superiori tractationē à nobis dictum est. De ordine, methodo, ac docendi via, ea afferam quæ ad præsens institutū pertinerē arbitrabor: quippe cùm

pe cùm proprios de methodis & ordinibus scribere cōmentarios, Iurisq; nostri exemplis illustratos, commodiori tempore in animum induxerim.

Placet igitur, quoniam omnis quæstio de methodo futura est, antè definire, quid sit methodus. Omnis enim, Vt Tullius inquit, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, Vt intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Sed alicuius rei definitio duplex afferri potest: una quæ essentiam & naturā, altera quæ proprietates & accidentia explicet. Prior scientifica, quòd scientiam pariat: & substantialis, quòd substantiam monstret: posterior, notio & descriptio, quòd probabilem et rudem quandam ingerat animo cognitionem, appellatur. Sed definitionem substantialem præcedit notionalis, quæ & notior est, & magis euidens, atq; hominibus qui rectè & animo & corpore Valent, perspicua. Essentialis & substantialis ab ijs tantùm intelligitur, qui artis aut scientiæ præcepta exactè iam antea didicerunt, & alicuius disciplinæ artifices sunt.

Nemini itaq; dubium est, quin, Vt Galenus medicorum princeps ait, quippiam methodo quærere & inuenire, aduersetur illi quod fortuitò et temerè quæritur & inuenitur. Illud autem temerè & fortuitò quæritur, quod sine aliqua Via, sine ratione & modo inuestigatur. quapropter methodo quærere nihil

aliud erit, quàm via & ordinę quodam, seu certa & determinata rerum inueniendarum, & inuentarum iam collocationę & distributionę facta, recto rationis iudicio adhibito, quidpiam indagare, ita quidem vt aliquid in inuestigationę ista primum sit à quo ordiatur omnis inuentio, & secundum, & tertium, & quartum, & sic deinceps reliqua ordine sese comitentur, & ex se mutuò fluant ac dependeant omnia, donec ad aliquod mentę & cogitationę perueniatur extremum seu vltimum, in quod superiora dirigantur vniuersa, & in quod desinat omnis propositæ rei inuestigatio. Vnde fit vt methodus nihil aliud sit, quàm breuis & succincta cognoscendi seu faciendi via & ratio, quod ipsius nominis vis satis ostenderę potest: videtur enim esse translata vox à castris & Imperatoribus, et quasi ἔφοδος dici, hoc est, compendiū & diuerticulum, quo solent vti boni & vigilantes Imperatores, cùm excubias & custodias in castris inopinatò & repentè occupant, militum suorum fidem ac diligentiam exploraturi. Quam rationem secuti sunt philosophi, ac breuem quandam et compendiosam inuenerunt docendi viam, quam ex similitudine hac methodū appellarunt, qua res numero propè infinitæ, confusæ atq; dispersæ, ad certa & definita capita, quæ theoremata & præcepta vniuersalia appellant, redigi, &

quadam

quadam rationē conglutinari ac constringi possent, vt earum postea haberetur cognitio, quæ antea vel cognitionem omnem fugiebant, vel experientia & vsu comprehendebantur tantùm. Vnde Quintilianus methodum vertit, breue compendium. Et Theodorus Gaza, viam ac rationem docendi. Qui igitur experientia quadam seu peritia, quæ tantùm multarum legum congerie memoriæ tradita constat, Iurisprudentiam dici & doceri deberē opinātur, illi mea quidem sententia rectè faciunt, dum neq; inuentioni neq; doctrinæ hunc ordinem necessariū esse profitentur: experientia enim sola, rationē & artificio vacat, soliusq; fortunæ beneficio in inuestigatione rerum opus habet. Atq; idcirco qui hunc docendi modum sequuntur aut defendunt, fortunæ & rei confusæ & incertæ amatores esse, eosq; nihil solidi & veri vnquam comprehenderē aut iudicare posse credendum est. Alij verò qui in rerum inuestigatione rationem ducem sequūtur, nihilq; quod eius arbitrio comprobatum non sit, statuunt, ordinē & via rectæ rationi consentanea, à primis & simplicißimis quibusdam principijs exorsi, ad singularū alicuius artis vel scientiæ partium inuentionē collocationemq; progrediantur, necesse est. Ordo autem & partium rei aut scientiæ alicuius collocatio, duplex est: vna accidentalis & arbitraria, altera naturalis et essentia-

lis. Accidentalis seu aduentitia dispositio inconstans est & varia, & pro arbitrio cuiusque hominis eiusdemq; cōceptione diuersa. Vt enim idem faber lignarius aut ædificator, pro dissimili mentis cōceptu sibi oblato, alio atque alio modo fabricat arcam aut domum, sic mens nostra pro diuersa conceptione, diuersos constituit ordines ac methodos. Quamobrem & in arte medica nonnulli medici, quia mente sua concipiebant atq; cogitabant vniuersalia esse nobis notiora, & ordinẽ doctrinæ præponenda, idcirco de morbis vniuersis siue generatim primò scripserunt, deinde de proprijs siue particularibus. Alij verò, vt Auicenna, cōuerso ordinẽ vsi sunt, propterea quòd mentis conceptionem habuerunt inuersam: animo enim concipiebāt, proprios morbos faciliores esse ad discendum & curandū, vtpote sensibus proximiores et exploratiores. Exorsi igitur à proprijs morbis, ad cōmunes progressi sunt. Et in nostro Iure ciuili doctissimis viris, vt Cicero lib. primo de Legib. refert, à lege Iuris scientiam proficisci, sed nescio an rectè, placuit. Cicero vim legum ab hominis natura repetendam, non Prætoris edicto, aut XII. tabulis hauriendam putauit: videbat enim honestatis fontes nō aliter patefieri posse, quàm si quid homini à natura tributum sit, quantam vim rerum optimarū mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendiq;

diq́ causa nati, & in lucem æditi, quæq́ coniunctio hominum & deorum, quæ naturalis societas inter ipsos esset, prius explicaretur. Imperator quoq́ Iustinianus Ius ciuile traditurus, de personis initiò earũq́ officio differendum sibi proposuit: quia existimauit, personarum causa ius omne constitutũ esse, easq́ & res et actiones dignitate longè superare. Et vt semel dicam, quicunq́ ex recentioribus hoc tempore, quorum quidem videre mihi cõmentarios licuit, de Iuris arte & methodo scribere attentarunt, illi pro diuersa atq́ varia mentis cogitatione, eius præcepta in ordinem vnamq́ consonantiã redegerunt. Hæc scribendi & inueniendi ratio vt immensa & infinita & incerta, ita vera & propria non est: quia infinitæ sunt hominum conceptiones & sententiæ, atque ob id modi quoq́ & ordines docendi infiniti. Naturalis autem methodus & ordo is est, qui à natura insitus est rebus, & constans, finitus atque perpetuus est, & vno atq́ eodem semper se habet modo, nec ad conceptionem & imaginationem mentis flectitur. hunc ipsa quoq́ natura in producendis gignendisq́ rebus seruat: quamobrem iurè vocatur essentia & anima rerum à Platone. Vt enim animal sine anima esse nõ potest, neq́ etiam viuere: sic cognitio rerum sine hoc ordine neq́ constare, neq́ rectè doceri potest: quinimò neq́ dici doctrina aut cognitio debet,

sed rectius confusio. Et quoniã ordo est veluti quædam anima & vita, ideo qui sustulerit hunc ordinẽ, continuò doctrinam rerum sua essentia & quasi vita priuabit. Nam vt Aristot. scribit secundo Phys. omne bonum pendet ex ipso ordine, tum in rebus artificiosis, tum in rebus naturalibus. Artificiosis quidem, quia artifex intuens in res naturales, earumq́ structuras perpetuas ac necessarias, ordinem harum accommodat ad suas actiones & opera: quia ars est imitatrix naturæ rectè & bene operãtis. De hac ergo methodo naturali constanti & finita dicendum nobis est, quæ sola rerum naturas earumq́ proprietates inuenirẽ, recteq́ inuestigare potest. Alia docendi via, vtraq; illa nimirum quæ experientia sola, aut etiam arbitrario ordinẽ constat, quia incerta, infinita, naturæ rerum repugnans & aduersa est, hoc loco prætermittetur, & cõmodiori tempore, in eo videlicet lib. vbi de tribus Iureconsultorum, empirica, methodica & dogmatica differemus sectis, confutabitur. atq; hæc de notionẽ methodi persequamur, modò ipsius essentiã & naturã, quæ cognoscitur ex suis causis atq; principijs, quam sequuntur differentiæ et proprietates & vsus, de quibus omnibus sigillatim, breuiter tamen & perspicuè & methòdo disserendum est.

Sententia est Aristotelis & priscorũ philosophorum,

rum,hominē ipſum à natura eius rei cauſa natum, & in hanc lucem æditum eſſe, vt ſeipſum,reſq́ue uniuerſas quæ ipſius gratia productæ & genitæ ſunt, earumq́ue vſus cōmoditateſq́ue, aßiduè cōtempletur, atque in his ſupremi opificis potentiam ac ſapientiam in efficiendo,bonitatem in conſeruando, admiretur; vt ex admiratione iſta rapiatur quodā deſiderio animiq́ue cupiditate imitandi hæc, ſimiliſq́ue genitori tandem fiat. deinde verò, vt alijs proſit, cōmunes vtilitates in medium afferat, ſocietatem hanc & coniunctionem hominū inter ſe ſtudioſa et laudabili actione tueatur, ſibiq́ue nō tantùm vxorem & liberos, ſed & amicos, propinquos, patriam et rempub. vniuerſum deniq́ue humanum genus, quoad eius fieri poteſt, beneuolentia omniq́ue officiorum permutatione, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuinciat atq́ue coniungat. Hæc enim vera & vnica, in quam natura humana tendat, & ad quam facta eſt, felicitas ac beatitudo: hoc inquam eſt ſupremum & vltimum illud, quod omnes nos expetimus, quodq́ue expetere debemus bonum: cuius adipiſcendi gratia, ſola ex tot animantium generibus atq́ue naturis, participem rationis & orationis, quibus cætera omnia ſunt expertia, Natura ipſa fecit, hiſq́ue ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuncios, figuramq́ue corporis habilem & aptā ingenio humano dedit, ac cùm cæteras animan

tes abiecisset ad pastum solum, hominē erexit, ad cœliq́ue, vt Tullius inquit, quasi cognationis domiciliiq́ue pristini conspectū excitauit: tum speciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret, & oculos nimis argutos, qui quidem quo animo affecti essemus, loquerentur. Itemq́ue opportunitates, habilitatesq́ue reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim largita est, quæ omnia ad docendū, discendum, cōmunicandum, disceptandum, iudicandum, intelligendūq́ue, sunt accōmodatissima, & quasi fundamenta quædā scientiæ: coniungunt & conciliant homines inter se naturali quadā societate, & ad officia mutua, beneuolentiā, amicitiam, familiaritatesq́ue ineundas, conseruādas atq́ue augendas, nos omnes alliciunt & impellunt. Quam quidem ob rem & Aristoteles, & priores illi philosophi omnes, duplicē philosophiæ vel sapientiæ partem, qua felicitas ac beatitudo hominis describeretur, cuiusq́ue præceptis illa doceri posset, arbitrati sunt: alteram quæ scientiæ & cognitioni, alteram quæ moribus & vitæ inseruiret. Sed enim omnis contemplatio vel scientia, veri intelligendi, actio autem boni adipiscendi gratia instituitur: ac cognitionis finis veritas est, actionis & officij, bonum. Vero autem contrarium est, falsum & mendaciū: bono, ipsum malum. sæpeq́ue fit vt ea quæ vera & bona sunt, nos lateant & obscura sint, atq́ue inter-

interdũ animus ſpecie recti & veri decipiatur. Vnde fit, vt contemplari nihil aliud ſit, quàm diſcernere ac diſtinguere verum à falſo: agerẽ autem, appetere bonum, & euitarẽ malum. Hæc ſeparatio & ſecretio, eſt quædam actio & opus, vt ſic dixerim, rationis & intelligentiæ. Omnis autem actio vt rectè ab artificẽ fiat, proprio & idoneo opus habet organo ſeu inſtrumento. Ideoq; & homo, vt propoſitam ſibi felicitatem adipiſci poſſet, atquẽ ſine errore verum cernerẽ, & in ciuili ſocietate rectum à prauo diſtinguere, medio quodam indiguit. Medium autem & inſtrumentum hòc nihil aliud eſt, quàm methodus ipſa & habitus, via & ordinẽ res contemplandi & efficiendi, hoc eſt, inueſtigandi veri, & adipiſcendi boni. Quod Euſtratius Ariſtotelis interpres ſecundo poſteriorũ Analyticorum ſatis expreſſiſſe videtur, cùm inquit: τέσσαρες μέθοδοι μὲν εἰσιν ἐννοηματικαὶ δι' ὧν ὁ ἀνθρώπινος νοῦς τὰ οἰκεῖα καταλαμβάνει ζητήματα. εὕρηνται δὲ ἵν' ὦσιν ὁδοὶ τῷ νῷ τοῦ ἀνθρώπου πρὸς τὴν τῶν ἀφανῶν εὕρεσιν. *Cùm enim rerum natura adeò inuoluta tenebris & abſcondita ſit, vt multi ex priſcis illis philoſophis, an alicuius rei ſcientia haberi poſſit, dubitarẽ auſi quandoque fuerint: tantaq; honeſtarum & inhoneſtarum actionum varietas, vt quæ maximè videntur digna eſſẽ iuſto hominẽ, eóque quem virum*

bonum dicimus, sæpe cõmutentur fiantq; contraria: necessaria profectò harum methodorum fuit inuentio, vt mens humana, quæ suapte natura facilè ad cõtraria deflectere, & labi plerunq; solet, in incognitarum difficillimarũq; rerum cognitionem, atq; bonarum fruitionem, facili quodam compendio sine errore perduceretur. Patet igitur methodũ nihil aliud esse, quàm instrumentũ cognoscendi & agendi, quo dijudicamus verũ à falso, & bonũ à malo. Porrò omne instrumentũ ex eorũ numero est, quæ cum alio cõferuntur: est enim tum alicuius rei, tum artificis instrumentũ: atq; ut instrumentũ sine artifice, ita artifex sine instrumẽto esse nõ potest: omnisq; actio siue naturalis siue artificiosa sit, organo ut obeatur rectè, indiget. Opifex igitur qui hoc instrumento nõ tantũ vtitur, sed eius quoq; est autor, mens hominis appellatur, quæ ratiocinando & contemplando, atq; perpetuò in rebus particularib. discernendo, in ijsdemq; vniuersalia notando, et hoc alijs indiuiduis applicando, frequenti vsu & exercitatione habitum quendam rationalem sibi parat, quo ordinem rerum animaduertere, & via quadã earum differentias, progreßiones, similitudines, dißimilitudines, causas, effectus, vires potestatesq; cernere ac docere potest. Qui quidem rationalis habitus, ordine progrediendi, methodus dicitur. Et hæc est vera et propria forma methodi,

thodi, ipsiusq; differentia, qua à reliquis omnib. animi habitibus, prudentia nimirum, sapientia, intellectu, arte & scientia distinguitur. qui omnes habitus sunt & mentis perfectiones, & hac methodo tanquam proprio instrumento acquiruntur. Itaq; cùm hoc habitu ac via rationali cæteri omnes habitus cōparentur, verè dici potest, hunc esse habitum habituum. Et cùm habitus illi dicantur etiam instrumenta adipiscendæ felicitatis, sequitur ut methodus sit instrumentū instrumentorū, & methodus methodorum, perinde ac manus dicitur esse organum organorum, quòd reliqua organa ac instrumenta, manus beneficio fabricentur. Hinc est quòd Cicero methodum, viam ac rationem quandam, id est, viam ratione institutam appellauit. Et Philoponus Aristotelis interpres, ἕξιν ὁδοποιητικὴν μετὰ λόγου, *id est, habitū qui sibi viā cum ratione molitur et parat: aliiq; nōnulli* λόγον εὑρετικὸν ἀπὸ τῶν ὁμολογουμένων μετά τινος ὁδοῦ καὶ τάξεως ἐπὶ τὰ ζητούμενα προϊόντα, *id est, orationem inuentricem à confessis via & ordine ad quæsita progredientem, esse dixerunt. Quæ quidem omnes suprascriptæ descriptiones, methodi opificem formamq; & essentiam in ordine & via ratione instituta positam, declarant. Hæc igitur methodus seu ratio progrediendi adhibetur à mente, ad contemplationē & actionem rerum, hoc est, ad ac-*

quirendum habitum scientiæ vel artis. Ars autem & disciplina omnis, duabus ad minimum rebus, in quibus methodi officium versatur, constat, partium nimirum eius inventione collocationeq́, & earum explicatione. Qui enim scientiã constituere aut docere nititur, is primùm quidem partes eius vniuersas certo quodam ordine inueniat, inuentasq́ disponat & collocet necesse est, queadmodũ natura disponit in corpore humano cæterisq́ in rebus, initiò membra: & ædificator columnas in domo, vel gradus in scala: quæ quidem partes ita inter se hæreant, vt altera ordine sequatur alterã, vnaq́ aliam prõducat & gignat semper, donec generis subiecti alicuius natura, & membra vniuersa sint exhausta atq; dissoluta. Quam dispositionẽ alij ordinem, alij doctrinam appellãt. Deinde verò sic collocatas partes, recta ratione earum naturam ac vim proprietatemq́ inuestigando explicet, & in hac quoq; re imitetur industriam naturæ artifex, quæ membra iam genita, sed rudia & informia adhuc, solet indies magis magisq́ absoluere perpolireq́: & ædificator vel statuarius confusam domum vel statuam exornare, atq; compositione membrorum, conformatione lineamentorum, pulchriorem reddere. Hæc autem partium explicatio rursus duabus rebus constat, via seu modo progrediendi dijudicandiq́ singula, & instrumentis

quibus

quibus naturæ & proprietates & differentiæ inuestigantur ac docentur. Cùm enim rerum naturæ proprietatesq́ue variæ sint & diuersæ, & auditorum ingenia dissimilia, non eodem semper modo & via in earũ inquisitione & doctrina vtendũ est, vt suo loco fusius dicã. Ex hac cõmentatione apparet, quid sit methodus, & quot eius inueniantur partes. Methodus ergo nihil aliud est, quàm habitus mentis, ordine, via, & instrumentis consistens, quibus artis, disciplinæ, actionisq́ue omnis partes inueniuntur, inuentæ apposité collocantur ac docentur, à recta ratione frequenti vsu & exercitatione comparatus, vt hoc quasi medio & organo huius vitæ felicitatẽ in contemplatione veri, & adeptione boni positam, homo adipiscatur.

Ex qua descriptione dubitare quispiam posset: Cùm methodus habitus esse statuatur, et habitus animi, ut in prima sectione dictum est, sint quinque, scientia nimirum, sapientia, intellectus, ars, & prudentia, an ad aliquem istorum referri possit, an verò genere diuersus ab his sit. Et breuiter dicendum arbitror, methodum ad scientiam pertinere, quemadmodum & dialecticã. Habitus enim mentis aut habẽt obiecta necessaria, aut contingentia: contingentia vt ars, et prudentia: necessaria, vt intellectus, scien, tia & sapientia. Methodus igitur neque ars neque pru-

dentia est, quamuis ars & prudentia methodo vtantur, quia methodus inquirit principia & causas artis & prudentiæ, & theoremata necessaria & vniuersalia, ex quibus postea ars uel prudentia gignitur. Quòd si habet obiectum necessarium, erit profectò intellectus, sapientia vel scientia. Non intellectus, quia est habitus primorum principiorũ, quæ sine aliqua cõmentatione comprehenduntur: at methodus ratiocinando atq; cogitando acquiritur. Neq; etiam potest esse sapientia, quia sapientia est comprehensio rerum maximarũ & diuinarum tantùm: at methodus, omniũ. Reliquum igitur est, vt sit scientia, quia est via ad scientiã, quemadmodũ motus ad formam dicitur forma, & via ad generationem generatio. Neq; obstat quòd eadem methodus dicatur instrumentum: vocatur enim organum et instrumentum relationẽ facta ad alios habitus, qui ipsius beneficio comparantur. Scientia autem quatenus in se & sua natura consideratur, est habitus circa principia & theoremata vniuersalia ac necessaria, rationẽ acquisitus. Partes autem huius methodi, vt nuper dixi, sunt, ordo, via & modus atque instrumenta, de quibus, vt res manifestior fiat, iam dicendum est. Ordo igitur est recta omnium artis vel disciplinæ partium inuentio & dispositio, quam quidam veteres, vt Galenus, & nonnulli recentiores medici, διδασκαλίαν,

ταξίαν, id est, doctrinam appellant: non illam intelligentes magistri vel præceptoris actionem docendi quæ in discipulum transfunditur, & μάθησιν oppositam hābet, sed viam quandam rationalem, quæ in scientiæ partibus vniuersis spectatur & docetur. Quidam neq; doctrinam, neq; ordinem, sed methodum vniuersalem vocarunt, ea nimirum ratione, quòd totius disciplinæ partes hac inueniantur ordinentúrue: atq; huic particularem methodum, quam nos superiori loco instrumentū appellauimus, quòd particularium theorematū explicationi adhibeatur, vt paulò pòst dicam, opposuerunt. Siue igitur ordinem, siue doctrinam, siue vniuersalem methodum appelles, non multùm laboro, modò quid his nominibus significetur, intelligas. Ego vtar voce ordinis, tanquam nostro instituto magis conuenienti. Ordo ergo est, vt ad rem redeam, partium vniuersæ artis apta & secundum naturam conueniens dispositio. Veluti in arte differendi, est prædicabile, prædicamentum, propositio, syllogismus, & demonstratio: his enim partibus uniuersa dialectica absoluitur: & qui artem hanc inuenire aut docere instituit, hac dispositione vtatur necesse est. Sic in arte ædificandi, est fossio telluris, positio fundamenti, extructio parietū, & cæterarum rerum, & impositio tegumenti seu tecti. Rursus in prædicamento substātiæ, est Cicero, ho-

mo, animal, corpus. Et in artę medica sunt elementa, humores, partes similes, & dissimiles. Et in Iurę ciuili est persona, res, actio. Harum ergo partium series atq; distributio, propriè dicitur ordo, quem artifex aut in inueniendo aut docendo artem sequitur. Qui quidem ordo non simplex est & vniformis, sed multiplex & varius: non tamen infinitus, vt multi ineptè sentiunt, sed triplex tantùm: nec in plures vel pauciores funditur species, vt ex natura rei atq; veterum philosophorũ autoritatę ostendi potest. Nam ordo est in genere relationis, vt ait Aristot. vij. Physicorum, & viij. Metaphys. Est ergo ad aliquid, & habet σχέσιν, id est, habitudinem, seu vt Cicero vertit, comparationem. Itaq; quot generum est habitudo partium alicuius artis vel scientiæ, totidem quoq; ordinis species reperiri necesse est. Sed habitudo partium triplex est tantũ, triplex igitur ordo: quandoquidem ad se mutuò referuntur, vel vt posterius ad suum prius, vel vt prius ad suum posterius, vel vt multa ad vnum, veluti caput & principem. Prior resolutiuus, secundus compositiuus, vltimus definitiuus ordo nominatur. Idem ordinum numerus demonstratur ex ijs quæ ad perfectã disciplinæ cuiusuis perceptionẽ necessariò requiruntur: quorum quidem primum est, earum rerum quæ discendæ sunt, & ex quibus ars constat, omniũ inuentio: alterum,

earum

earum quæ iam inuentæ sunt, apposita ad docendū ac discendum collocatio atq; demonstratio: tertium, compendiosa omnium theorematū ac præceptionū (quam σύνοψιν Græci vocant) quæ memoriæ seruiat comprehensio. Resolutiuus igitur ordo ad inuentionem partium disciplinæ, omniūq; preterea theorematum, excogitatus est. Compositiuus ad docendum inuentus, quæ à priore sunt excogitata, tum inter se, tum cum principijs demōstrationis vi coniungens, & quasi connectens, in scientiæ formam coalescere faciens. Appellatur autem hic ordo nō tantùm μέθοδος συνθετική, sed etiam ἀποδεικτική, quòd in hac potißimū demōstratio elucescat, ac primas quodammodo partes obtineat. Definitiuus ordo, quem ὁριστικὸν appellant, propter summā breuitatem memoriæ cōsulit: quippe cùm sub vnica ac compendiosa definitione, omnes artis partes spectandas exhibeat, moxq; definitiōne comprehensas explicet, explicatasq; rursus diuidat, ac sic per summa quædam artis capita decurrat semper, donec vniuersa ars prius explicata ac demonstrata, in σύνοψιν redacta fuerit. Huc accedit autoritas priscorum philosophorum & medicorum, qui neque plures nec pauciores ordines reperiri posse scriptis tradiderunt. Galenus in libro quem Artem paruā vocant, sic inquit: τρεῖς εἰσιν αἱ πᾶσαι διδασκαλίαι τάξεως ἐχόμεναι.

πρώτη μὲν, ἡ ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας κατ' ἀνάλυσιν γινομένη. δευτέρα δὲ, ἡ ἐκ συνθέσεως τῶν κατ' ἀνάλυσιν εὑρεθέντων. τρίτη δὲ, ἡ ἐξ ὅρου διαλύσεως ἣν νῦν ἐνιστάμεθα. *id est: Tres sunt omnes doctrinæ, in quib. ordinis conseruatio intelligitur. Prima, quæ ex finis notione per resolutionem fit. Secunda, quæ in componendis ijs versatur, quæ per resolutionem sunt inuenta. Tertia, quæ ex definitionis dissolutione est, quam nunc instituimus. Huic sententiæ adstipulatur non tantùm Plato infinitis in locis, sed & Aristoteles et tota Peripateticorũ schola, vt in Ammonij & Simplicij in prædicamẽta, Philoponi et Eustratij in Analytica posteriora Aristotelis cõmentarijs, satis abundè licet intelligere. Quinimò quicquid unquam ab Aristotele, Hippocrate, Galeno, cæterisq; philosophis ac medicis, de natura rerum, de moribus, de disciplinis differendi, de sanitate & morbis hominũ, scriptis traditum fuit, id omne aut resolutione inuentũ, aut cõpositione & definitione est traditũ. Ex his autem omnibus, Galenus methodi et ordinis magister solus, totam artem medicam triplici hoc ordine tradidit. Aristoteles vt plurimũ compositiuo vsus est, vt nuper dixi, ad docendum accõmodatissimo. Cùm ergo non sint plures neq; pauciores quàm tres ordines, singulos persequar ea breuitate & perspicuitate, quam præsens oratio patitur, à resolutorio exorsus. Re-*

ſus. Reſolutio igitur, quã Græci ἀνάλυσιν appellant, ſicut & cõpoſitio, eſt vox ambigua, atq; idcirco diſtinguẽda, ne nominis ambiguitate decipiamur. Etenim Euſtratius ac Philoponus & Alexander in Cõmentarijs priorum et poſteriorũ Analyticorum, & Ammonius & Simplicius in prædicamentis, itemq; Alcinous Platonicus in libello περὶ φιλοσοφίας, ſcribunt reſolutionem aliam eſſe, quæ in cogitation& intelligentia conſiſtat, aliam verò quæ quòd natura fiat, naturalis appelletur: ad quã & organicam, quæ ſenſu percipitur, referimus. Intelligibilis reſolutio rurſus eſt multiplex: eſt enim reſolutio quædam Categorica, quam prædicamentalem liceat nunc appellare, cùm nomen aliquod compoſitũ reſoluimus in ſua prædicamenta. Veluti, Cicero eſt totius & compoſiti quædam nota, quæ ſecundũ notionem, cogitation hoc modo in ſimplicia quædam primaq; principia diduci poteſt. Nam ipſum & ſubſtantiam quandam, quòd per ſe ac ſuapte ui conſiſtat, intelligimus quantitatẽ omnino aliquam habere, tum quòd vnus ſit numero, tum quòd certam definitãq; habeat corporis magnitudinem. Adhæc & qualitate affectum animaduertimus, cùm nimirũ eius animus prudentia ac ſapientia, corpus autẽ ſanitate & pulchritudin ſit præditum. Iam verò & dominus & filius omnino vel etiam pater eſt, atq; idcirco ex

eorum numero quæ cum alio conferuntur. Consimiliq; ratione & in reliqua Ciceronis notio potest resolui prædicamenta, quæ resolutio intellectu & cogitatione fit, quòd hæc ipsa, quæ re & natura separari nequeunt, animo ac mente distinguãtur. Huic resolutioni opponitur compositio, quæ ex ijsdem principijs ac prædicamentis constituitur. Altera intelligibilis resolutionis species est, quæ vocatur ὁριστική, id est, definitiua, quæ duplex est: aut enim definitionem iam factam in sua soluit principia, genus videlicet ac differentias, vt, hominis definitionem in animal rationale ac mortale: vel in suas causas, vt materialem, efficientem, formalem & finalem: aut nomen, id est, notionis compositæ symbolum, in simplicia quædam & ipsum symbola: vt, Iustitiam in constantem & perpetuam voluntatem, ius suum cuiq; tribuentem: et libertatem, in facultatem naturalem faciendi quod cuique libet, nisi iure aut vi prohibeatur. Tertia species uocatur syllogistica, quæ rursus duplex est: aut enim resoluit syllogismum in suam figuram, aut problema aliquod & quæstionẽ in sua principia, ex quibus postea nectitur demonstratio, quæ et geometrica dicitur, & à Gemino inuentio demonstrationis appellatur: secundum quam significationem Aristoteles posteriora resolutoria inscripsit: in ijs enim docetur ignotæ alicuius rei principiorum ac

causarum

causarum inuentio, quæ ad demonstrationem pertinent. Quòd enim luna deficiat terræ interiectu, à posterioribus ad priora progressi cognoscimus, ac postmodum inuenta causa ex ea demonstrationem colligimus. Nam lunam quidem deficere sensu comprehendimus, huius autem causam cogitatione inquirimus & inuenimus, nimirũ oportere aliquid interiectum esse, vt deliquiũ hoc causari possit: nihil autem obijci præter terram. Inuenta hac causa regredimur, demonstrationem nectendo, hoc pacto: Cuicunq; aliquid obijcitur, deficit: Lunæ terra obijcitur, ergo deficit. Prior resolutionis species idcirco syllogistica dicitur, quòd iam facta ratiocinatio, in sua principia, propositiones ac terminos, atq; etiã proprias figuras tanquam regulas quasdam artificiosas dissoluatur. Huc referatur compendij gratia & illa resolutio, quæ est propositionis in suos terminos, prædicatũ videlicet & subiectum. Quarta resolutionis species orationis statuatur, siue rhetorica illa, siue grammatica fuerit, quò & dictionis tum solutio tum cõpositio procumbit. hæc autem diuiditur in periodos, cola, membra, dictiones, syllabas, literas. Quinta autem & vltima huius resolutionis quæ intellectu fit, species est, cùm artifex cogitationẽ finem alicuius rei, artis vel scientiæ, itemq; genus subiectũ, resoluit in simplicia quædam principia et elementa, ex quib. res, ars vel scien

tia, tanquam partib. constituitur. Porrò naturalis compositio prioribus his opponitur, neq; cogitatione & intelligentia, sed natura fit: veluti cùm res dissoluuntur in materiam formatam vel informem: formatam, vt homo in carnem, neruos, ossa: & hæc in humores, et hi in elementa. Informem, vt materiam primam, et formã. Huic resolutioni opponitur compositio ea, quæ ex iisdem principiis orditur. Huc referatur organica compositio & resolutio, cuius materia similaria sunt corpora, forma autem vniuscuiusque similaris corporis magnitudo, conformatio, figura, adhæc & certus earum numerus, ac postremò apta omnium coniunctio atq; collocatio. Tot modis, ac fortasse pluribus, vt Platonici uolunt, ad nostrum tamen institutũ parum hoc in loco facientibus, concipitur resolutio. Differunt autem hæ species omnes potissimùm rebus subiectis, quæ dissoluuntur: ordo autem & modus progrediendi ferè vnus & idem est. Etenim omnes à posterioribus ad priora, à compositis & confusis ad simplicia, ab effectibus in suas causas, à fine ad principia, ex quibus unumquodq; constat, progrediuntur: videturq; hæc vox resolutionis, translata esse ab his, qui post peregrinationem ad proprios lares reuertuntur: nam qui patria egressi reuertuntur, propriè ἀναλύειν dicuntur. Cùm tot modis concipiatur resolutio, nos de illa

dicemus,

dicemus, quæ est finis et generis subiecti in sua principia, qua omnes artes ac disciplinæ uniuersæ cõstituuntur, earumq; problemata ac præcepta inueniuntur.

Resolutio igitur hæc seu ordo resolutiuus, à notione finis, vt Galenus ait, ducit initium: nam finis est primum principiũ artis, cuius conceptio statuitur in mente artificis, tanquam quoddam bonum: quia finis expetitur, aut quia verum bonũ est, aut quia apparens, & specimen boni præ se ferens: & ideo cùm sit expetibilẽ, mouet efficientem ad appetendum. Quemadmodum in medicina finis est fruitio sanitatis, & in Iure ciuili iustitiæ legitimæ adeptio: concipitur enim à Medico & Iureconsulto pro quodam bono, alioqui non expeteretur. Vbi verò hoc bonum, siue huius boni conceptio, mente constituta est, adiungitur suo subiecto seu materiæ, in qua reperitur, vt sanitas corpori, & iustitia actibus hominum ciuilibus seu politicis, ex quibus quasi duobus fontib. vniuersæ artis vel scientiæ constitutio emanat. Etsi autem finis istius cõceptio et subiecti vna est, tamen in multa, quæ ad hæc referuntur principia & theoremata tantisper dissoluitur, ac singula quæ ad artis seu professionis cognitionem attinent ordine producuntur inueniunturq; omnia, donec ad vltima & extrema peruentum sit elementa, quæ in alia resolui adhuc minimè queant, quæq; vlteriorem sectionem non ad-

mittant. Quæruntur ergo in hoc ordine, omnia quæ ad finem conducunt: conducunt autem ad finem cognitiones partium ipsius subiecti, & causarum efficientium finis: quoniam finis est veluti forma materiæ subiectæ. Itaq; inuestigantur initio principia subiectæ materiæ, veluti in arte medica corporis humani partes, dissimiles, similes, humores, elementa: et in Iure ciuili principia actuum ciuilium, persona, res, quæq; ex his oriuntur actiones: deinceps ipsius finis. Vnde ab Arabibus interdũ hic ordo Quæsitum nominatur: est enim ille, quem studiose inquirimus, & cuius gratia subimus laborem inueniendi vel docendi artem: finem autẽ non inquirimus, sed tanquã notum animo possidemus: quia resolutio, vt Aristoteles in libro de moribus inquit, imitatur, vel potius est quædam consultatio: consultatio autem nulla de fine instituitur: vt, medicus non deliberat secũ, an debeat sanitatem tueri, aut morbum profligarę: & Iureconsultus non dubitat, an iustitia sit sibi in repub. tuenda, et propellenda iniustitia, sed simpliciter hũc finem tanquam bonum quoddam animo cõcipit, ea quæ ad illum spectant ordine rectaq; rationę inquirit ac resoluit, donec omnia quæ ad fruitionem huius necessaria sunt adinuenerit. Est enim veluti amussis & regula omnium quæ in arte tractãtur, ideoq; per hunc artes non solùm distinguuntur & separantur,

sed

ſed etiam conſtituuntur. Nam artium aliæ tantùm in rerum contemplatione, atque inueſtigatione veri conſtitutæ ſunt, quæ et Græcis (vt Galenus in libro de Cõſtitutionẽ artis medicæ inquit) θεωρητικαὶ appellantur: in quo genere tota phyſiologia, cuius finis in rerum naturaliũ ſcientia poſitus eſt, ſine vlla corporis actionẽ, conſiſtit. aliæ præter contemplationẽ, actionem quoq; corporis uel animi, extra animũ ſeſe proferentẽ, adiungunt. atque hæ duplices ſunt: aut enim acquirunt aliquid, aut efficiunt: acquirunt, vt ars aucupatoria, venatoria, & piſcatoria: efficiunt, aut opus poſt actionem relinquentes, aut nihil relinquentes. Quæ opus relinquunt, ποιητικαὶ propriè, id eſt, factiuæ vel effectiuæ dicuntur: & hæ aut nouum opus efficiunt, vt ædificatoria: aut quod vitiũ fecit, reficiunt ac reconcinnant, vt ars medendi. Artes quæ nihil poſt actionem relinquunt, πρακτικαὶ vocantur, vt ſaltatoria, cantatoria: quò referuntur omnes illæ artes politicæ, ex quarum numero hæc noſtra Iuriſprudentia eſt. Omniũ igitur harum artium genera, finis reſolutione inueniuntur: vnde Galenus vocat inſtrumentum & methodum inueniendi & conſtituendi omnes artes: quam quidem methodum teſtatur nono Therapeutices, ſe à Platonẽ didiciſſe. Eſt ergo reſolutiuus ordo, progreſſus ex notionẽ finis vniuerſalis ad principia vltima ipſius artis: nã exa-

cto huiusmodi progressu, statim ars ex notionē finis cōstituitur. Exigitur autem & perficitur per seriem principiorū seu partium, quæ aliquando est simplex, aliquando composita & multiplex. Simplicem manifestè cōspicimus in resolutionē logicæ cōtemplationis, cuius finis est cognitio veri: sed veri cōcludendi & efficiendi opifex est demonstratio: omnis autem demōstratio est quædā ratiocinatio & syllogismus. Cæterū syllogismus cōsurgit ex propositionib. rursus propositiones ex vocibus simplicib. & hîc nō datur vltrà progredi resoluēdo, cùm voces sint vltima huius resolutionis et facultatis prima principia. atq; hæc partiū series simplex et vniusmodi est. Aliquādo verò cōstitutus finis, per plures ac diuersos ordines resoluitur. verbi gratia: Finis politicæ facultatis sit pax et tranquillitas: resoluamus modò hunc finē in sua principia. Pax igitur quæritur, aut victoria, aut amicitia: & hîc iam finis incipit resolui in duo principia. Rursus, victoria quæritur bello, bellum geritur milite, miles colligitur pecunia. Iam verò pecunia (nunc deflectit à sua simplicitate) pecunia inquam, aut in promptu est, aut aliunde quærenda. Quæritur aut à subditis, tributa vectigaliaq; exigendo, vel mutuò accipiendo, vel dominia ac possessiones oppignerando, vel diuendendo. Quòd si his modis pacem quærere non libeat, aliæ attentandæ sunt viæ, quibus ea

potiri

potiri poßis. Cùm igitur propositum finem in victoriam & amicitiam resoluerimus, victoriam autem nullo modo, aut certè difficile assequi poßimus, ad alteram resolutionis partem, amicitiam nimirũ, transeundum nobis est, quæ comparatur aut beneficijs & officijs, aut hosti de iure cedendo: vel id redimendo. Redimetur autem vel pecunia, cuius quærendæ ratio modo exposita est, vel permutatione, vel matrimonio. Hic ergo ordo partiũ quæ ad finem, hoc est, pacem referuntur, vbi habeat multiplicia principia, cuiq; planum fit: & quo vtimur ordinẽ resoluendi vnum finem vnius rei, eundem accõmodamus ad resolutionem cæterarum rerum. Nam quemadmodum multæ et diuersæ sunt artes, ita quoq; varij sunt fines: alij enim alijs propositi sunt artibus, quæ quidẽ artes solo fine & constituũtur & distinguuntur, vt sæpißimè Galenus nos cõmonuit. Verùm apud Aristotelem, quod ad totam facultatem aut scientiam cognoscendam attinet, nusquã in operibus quæ ad nostras manus peruenerũt, reperitur resolutio: partium autem alicuius artis, multis in locis, vt paulò pòst dicam: vt in principio lib. Politicorũ, Physicorum tertio & octauo, Meteororum lib. primo, & alijs infinitis in locis. Id tamen constat, omnes ab eo artes hoc ordinẽ inuentas esse ac constitutas, quemadmodum & artem medicam à Galeno, qui in lib. de constitu-

tione artis, hanc methodum est secutus. Quemadmodum autem omnes scientiæ ac disciplinæ, ita et artes vniuersæ quæ manuum ministerio funguntur, hoc ordine cōstituuntur inueniunturq́ue. Verbi gratia, in arte ædificandi sic resoluimus: Nam artifex primò mente cōcipit finem domus, sub notione boni: intelligit enim bonū & salutare esse homini, si à ventis & imbribus, à frigore et calore, cæterisq́ue tum cœli tum aliarum rerum iniurijs se tueri poßit: ex qua conceptione boni mouetur, vt inquirat omnia principia et causas, quibus se aduersus tot mala defendat. videt igitur tegumento opus esse: quoniā autem tegumentum suapte vi consistere nequit, quia graue omnino est et ponderosum, idcirco sustentacula ac fulcimenta parat, quæ tegumentū sustineant. Fulcimenta autem sunt parietes: quæ cùm & ipsæ eius naturæ esse debeant, vt non facilè loco moueri, sed contrarijs resistere poßint, idcirco basi & fundamento nitantur necesse est: atenim fundamenta citra telluris foßionem iaci non possunt: foßione igitur opus est, quæ est finis huius resolutionis, qua domus partes ac principia sunt adinuenta. In Iure ciuili sic resoluimus: Iuris finis & scopus est conseruatio iustitiæ & æquitatis, uel salus reipub. & priuatorum quies. hæc autem pendet ab executione legum, quæ fit à magistratu. executionem antecedit sententia, sententia non nisi

in iu-

in iudicio dicitur: iudiciũ fluit ex forma agendi, forma ex facultatę agendi, hæc ex actione, actio ex obligatione vel quasi, obligatio ex contractu vel quasi contractu, & hi ex dictis factisq́ꝫ: dicta & facta ex consensu, cõsensus à mentę & homine seu persona. Ex his iam manifestũ est, quis & qualis sit ordo resolutorius: persequamur modò compositorium.

Compositiuus igitur seu compositorius ordo, est progressus contrarius resolutorio: nam principium vnius, est finis alterius, oriturq́ꝫ ex habitudinę prioris ad suum posterius: quandoquidem vbi desinit resolutio, ibi orditur compositio. & quod primum fuit in destinationę siue resolutionę, id vltimum est in effectione seu cõpositione. Quapropter imitatur naturã regiæ uiæ, quæ certo quodã tramitę à principijs et elementis resolutionę adinuentis, ad finẽ artis nos deducit. verbi gratia: artifex in resoluendo & consultando, concipit bonũ esse defenderę se & alios ab iniuria ventorũ & imbrium, vt nuper dixi: ex qua cõceptionę finis, mouetur, quia bonũ omne est expetibile: mouetur ergo ad inquirenda omnia principia, quæ ad finem cõceptum referuntur. Itaqꝫ artifex resoluto ipso finę in tectum, parietes, fundamenta, & telluris fossionem, deinde sese accingit compositioni: primùm terrã fodit, deinde fundamenta ponit, tum verò ducit parietes, postremò imponit tectum, &

peracta compositionẽ finem destinatum in ipsa resolutione est consequutus, nimirum defensionem siue tutelam aduersus iniurias cœli: & ita quod primum fuit in inuentionẽ & resolutione, id vltimũ & extremum offenditur in compositione & actione, & contrà. Quare eodem calle progredimur componendo & resoluendo, solaq; habitudinẽ inter se differũt compositio atq; resolutio, quemadmodum ascensus & descensus scalarum, & concauũ & conuexum in circulo. Sed tamen difficilius est resoluerẽ quàm componere, quemadmodum difficilius est ascendere quàm descenderẽ. Præterea semita compositiui ordinis nota est per resolutiuã: atq; idcirco qui nouit resoluere, idem quoq; nouit cõponerẽ: sed non reciprocatur, quia resolutio & antiquior & difficilior est ipsa compositione. Huc accedit etiam, quòd vt resolutiuus est aptißimus ad inueniendũ, ita compositiuus ad docendum. Et hoc ordinẽ docuit Aristoteles physiologiam vniuersam, hoc est, scientiã rerum naturalium: quandoquidem exorsus est à causis ac primis rerũ principijs, à quibus deinde ad elementa progressus, ab his ad mixta imperfecta, ab imperfectis ad perfecta, à perfectis ad hominẽ ipsiusq; partes & membra. Eademq; methodo vsus est in lib. de vita & moribus. Nam initiò de causis virtutũ disseruit, deinde de earum natura, postmodum de varijs ipsarum

rum

rum ſpeciebus. Et in lib. de repub. primùm de ſimplicibus domus partibus, viro nimirũ, uxore, poſſeſſione ac liberis diſputauit, deinde de domo, mox de ciuitate, eiuſq; ſpeciebus. Et in lib. de arte diſſerendi, initiò de ſimplicibus vocibus egit, poſt hæc de propoſitione, deinde de ſyllogiſmo, ad extremum de demonſtratione, ſyllogiſmo topico et ſophiſtico, qui ſunt partes ratiocinationis. Galenus quoq; & Auicenna artem medicinalem hoc ordine conſcripſerunt: etenim primò de elementis diſputarunt, ſecundò de humoribus, tertiò de partibus ſimilibus, vltimò de diſsimilibus, earumq; affectionibus. Patet igitur hunc ordinem aptiſsimum eſſe ad res tractandas atque docendas: eſt enim fuſior reſolutionẽ, quia rerum natura et proprietas latiſsimè hoc explicari poteſt. Explicantur autem res cõmodiſsimè hoc pacto, ſi primũ quidem earum definitiones producantur, deinde verò ex generis eiuſq; partiũ diuiſione theoremata inueſtigentur. Vt enim totum genus ſubiectum ſibi proprium aliquod accidens et peculiare habet, ita et eius partiũ quælibet proprio informetur neceſſe eſt. Quod cùm de ſubiecto demonſtratur, primaria ex eo conficiũtur theoremata ſeu præcepta, quæ Græci πρoηγoύμενα appellant: cùm verò de proprio, ſubiectum prædicari poſſe conſtituitur, ἀντίστροφα. Quod hac potiſsimùm rationẽ ab autoribus fieri ſolet, ut intelli

gamus has esse veras proprietates, quæ cum suo subiecto reciprocantur, ex quibus propria demonstratio gignitur, vt autor est Aristot. primo lib. post. Analyticorum, qui has leges, vt & alij, non semper tam anxiè obseruat. Quoniam igitur propriorũ & accidentium huiuscemodi cognitio, vt diximus, ad scientiã est necessaria, hæc autem sine medio aliquo inueniri nequeant, idcirco qua ratione inuestigentur, artifici considerandũ est diligenter. Ad quam quidem rem plurimũ contulerit, post generis subiecti diuisionem, similium ac dissimilium rerum consideratio, quam Aristoteles lib. primo Topicorũ inter dialectica instrumenta connumerat, & duo facit, ὁμοίȣ videlicet σκέψιν, καὶ διαφορῶν εὕρεσιν. Hippocrates autem in totius artis medicæ præfatione coniungit: quod & Plato, eum multis in locis secutus, facit. Simile autem & dissimile inuenire, nisi adhibitis κριτηρίοις, quas normas vocant, non possumus. Sunt autẽ normæ certitudinis, omnibus quidem confessæ, mens & sensus tanquã fontes: ratio & experientia, tanquam scaturigines. Platoni autẽ & Academicis exactior quædam Critiriorum instituitur diuisio, vt mentem quidem ipsam rursus diuidant, in mentem quæ cum genere idem nomen obtinet, & διάνοιαν: sensum autem in sensum propriè dictum, & εἰκασίαν. Alij nonnulli hoc modo etiam partiuntur, vt à superioribus

b is auspicando, primum quidem νοῦν esse dicant, dende διάνοιαν, postea δόξαν, hinc φαντασίαν, post hac sensum. Quibus nonnulli etiam εἰκασίαν adijciunt, id est, simulachri in aquis et speculis perceptionem. Prior tamen partitio exactissima esse videtur, quod reliquas quodammodo continerę videatur, & substantialis sit, hæc autem ψιλικὴ tantùm. Sed de his aliàs exactius differendum est.

Cæterũ rationes quibus propriæ paßiones de subiecti demõstrantur, aut resolutiuæ sunt, aut compositiuæ. Resolutiuæ duplices sunt: aliæ enim deducunt conclusionem ad principia iam demonstrata, aliæ ad ea quæ cum principijs pugnãt, & reductiones ad impoßible appellantur. Constitutiuæ quoque bipartitæ sunt, non eo quidem modo quo priores, sed tantũ ratione: aliæ enim ex ipsis principijs rem demonstrant, aliæ verò ex ijs quæ per principia antea sunt comprobata atq; demonstrata. Atq; hæc quidem demonstratio vtraq; præcipuũ locum habet in hoc ordine compositorio, qui est aptißimus ad docendũ. Quod cùm imperiti quidam nõ animaduerterent, existimarunt non tantùm compositorium, sed & resolutiuum ordinem esse demõstrationem, cùm tamen plurimùm inter ordinem & suum instrumentũ intersit. Nam demonstratio est abdita in suo ordinę, quia in ipso nectitur: & vt demonstratio, quæ profitetur causam,

quamobrem res sit familiaris, est ordini cõpositiuo, sic demõstratio per quam colligitur causa vt sit res, resolutiuo magis est accommodata. In utroq; tamen ordine vtraq; specie demonstrationis indiscriminatim uti licet, prout rei subiectæ materia postulat. Tertius iam ordo superest, qui definitiuus appellatur: frustra enim et quæ discenda sunt inuestigaris, et cognoscendi perdiscendiq; laborẽ sumpseris, nisi fideli memoriæ, quæ percepta & cognita fuerint, commendaueris. Itaq; tertia restat methodus, quæ memoriæ seruiat, quemadmodũ prima inuentioni, secunda perceptioni. Oritur autem illa quidem ex habitudine multorum, ad vnum veluti caput et principiũ. Vt enim in bene instituta rep. sunt multi magistratus, vt Consulatus, Tribunatus, Aedilitas, Quæstura, et aliæ eius generis dignitates, ad vnum tamen Dictatorem velut principem referuntur: et vt in exercitu bene instructo omnia officia pendent ex nutu & potestate vnius Imperatoris, ita in hoc ordine omnes artis partes fluunt ex vnica definitione, & ad hanc tanquã reginam & principem rursus rediguntur. Huius ergo ordinis ratio talis est, vt primùm quidem artis seu disciplinæ substantialem ac perfectam definitionem, omnes artis partes sua vi complectentem, subijciamus: eiusq; deinceps dissolutione seu diuisione proximè producamus membra, quæ rursus similibus definitioni-

nitionibus includamus: atq; ijs rursus dissolutis, partium partes similiter diuidamus tantisper, donec ad ea perueniamus, quæ quòd proximè indiuidua contineant, nullam amplius sectionem admittunt. Atq; in hac quidem explanatione partium, non tantùm diuidimus & subdiuidimus, sed etiã resoluimus causas in effectus, & uicissim effectus in suas causas: aut proprietates, vtroq; genere demonstrationis, per causas veras & immediatas generi subiecto inesse stabilimus. Cùm autẽ cognitæ sunt partes, tum eas in comparationem vocamus, & ex comparatione partiũ, vsus siue fructus, quos percipimus, exponimus. Postremò argumenta omnia ea refutamus, quæ definitionem traditam infirmare & demoliri valent: errata quoque ex illa definitione tradita ostendimus. Ad extremum, cuncta quæ explanando in partibus persequuti sumus, breui peroratione repetimus, ita quidem, vt quicquid molimur et conamur, id omne in vnam definitionem, veluti reginam & moderatricem actionũ, contulisse videamur. Huius autem methodi seu ordinis præclarissimũ exemplum apud Galenũ quidem extat in lib. artis medicinalis, quam vulgò Artem paruam vocant: & apud Aristotelem in libro de virtutibus: itemq; rudis & inchoata quædam eius apud Iustinianum in lib. Instit. imago. Et hi sunt tres ordines quibus solent inueniri, doceri

ac memoriæ tradi omnes artes & disciplinæ, de quorum vtilitatę ac vsu & præstantia multa dicenda essent, nisi propositi huius breuitas aliud postularet.

Partibus igitur scientiæ his ordinib. inuentis atq; dispositis, sequitur earum postea explicatio, quæ duabus in rebus consumitur, via nimirum seu modo atque instrumentis eas explicandi & tractãdi. Via autem seu modus, vt scribit Aristoteles tertio Rhet. nihil aliud est quàm ratio recta progrediendi in doctrina, atq; etiam iudicandi. Progressus verò est quidam motus, à noto ad ignotum: hoc est, à rebus nobis notioribus, ad res suapte natura notiores, nobis autem ignotiores. Notiores autem sunt nobis ea quæ sensibus sunt propinquiora & magis conspicua, vt composita, & confusa: ignotiores, vt res simplices, principia & rerum elementa. Seruauit ergo viam seu modum Aristoteles secundo libro de Anima, vbi ex rebus obiectis et sensilibus progreditur ad ipsos actus, & ab his ad potentias siue vires, à potentiis ad animæ substantiam & essentiam. Idem in libro primo Phys. fecit in inuentionę materiæ primæ, & reliquorum principiorũ: itemq; in libro de Memoria & reminiscentia: nam ab obiecto ad actum, ab actu ad memoriam processit. eodemq; progressu sæpissimè vtuntur in decidendis quæstionib. veteres tam medici quàm iureconsulti. Modus iudicandi versatur

in re

in re & persona. Persona enim nõ omnis eodem modo doceri & institui potest, quia auditorũ ingenia omnium non sunt paria. Sunt quos exemplis tantùm docerę oportet: alij solo sensu ducuntur, & institui possunt: alij in sola rationę conquiescunt. Res similiter dissimili quoq;, sed proprio modo traduntur: aliæ enim per solam formã siue causam formalem doceri debent, vt res mathematicæ, quæ quia intellectu à materia abstrahuntur, & efficiente et fine & materia carent. aliæ verò per formã & materiam & efficientem interitui obnoxiam, vt omnis res naturalis cõmodissimè per hoc genus traditur. aliæ per finem, vt res moralis, siue omnis actio quæ dependet ex nostra voluntatę, quemadmodum & tota Iuris ciuilis nostri scientia, & omnis res quæ cadit sub contemplationem artificis. Oportet igitur in docendo prænoscere & viam progrediendi, & modum iudicandi naturas rerum, & dignoscendi ingenia auditorum; ex quo apparet, quid sit via & modus.

Cæterũ nulli vsui essent via et modus, nisi etiam nobis præstò essent instrumenta accõmodata ad docendum: quandoquidem vt admonet sæpe Aristoteles, nulla actio siue corporis siue animi sit, quæ sinę instrumento proprio rectè obiri potest. Instrumentis ergo quibus res explicantur & docentur, opus est. Neq; verò eadem esse, vt multi perperàm tradunt,

existimanda sunt ordines et instrumenta, propterea quòd hæc ordinibus concluduntur continenturq́ue, quemdmodum ascensus & descensus in scala. Ordo enim, ut sæpius dixi, nihil aliud est, quàm apta et conueniens omnium artis vel disciplinæ partium inuentio, dispositio atq; collocatio, veluti in scala graduũ singulorum series et distributio. Instrumenta autem seruiunt explicationi partium hoc modo dispositarum. Iam verò ordo istarũ partium semper est vnus & perpetuus: omnisq́ue artis dispositio, aut resolutione aut cõpositione aut definitione fit: at modus vtendi hæc instrumenta varius est & inconstãs, ita quidem, vt pro diuersis scientiæ partibus alijs atque alijs semper vtendum sit instrumentis. Ex quo colligi potest, non vnum esse genus horum instrumentorum, sed varium & multiplex: quanquã si diligentius res consideratur, & vnum & plura harum methodorum genera esse adinueniemus. Methodus enim concipi potest pro via & ratione quadam docendi: qua notione vnus tantùm erit generis habitus, sub quo multæ species atq; differentiæ continentur: qui habitus à philosophis Dialectica siue Logica appellatur. Quòd si per methodum, cognoscendi & sciendi modum sub Dialectica comprehensum intelligamus, proculdubio nõ vnus, sed multiplex generis habitus statuẽdus nobis erit. Sed hæc fortasse minutiora sunt,

quàm

quàm vt fusius tractentur. Id constat apud omnes, plura esse instrumentorũ genera: quot autem sint, à multis ambigitur. Nos relictis aliorum opinionibus, quid Plato & Peripatetici, qui de hac re & doctè et copiose scripserunt, senserint, paucis explicarę conabimur. Itaq; cùm hæc instrumenta sint cognoscendi quidam modi, modi autem sciendi sint multiplices, quot erunt modi, totidem quoq; & instrumentorũ & methodorum genera reperiri necesse est. Rursus, quoniam omnis cognitio alicuius rei est cognitio, & ad aliud refertur, fit vt ex rerum cognitarũ differentijs, cognoscendi quoq; modi & instrumenta intelligantur. Sint ergo hi duo scopi et fontes, ex quibus numerus instrumentorũ depromitur: res nimirum cognitæ, et modus cognoscendi. Res autem quas cognoscimus, aut sunt substantiæ, aut accidentia. Substantiam intelligi volo non eam, quæ per se subsistit, & suapte vi nititur, sed essentiam & naturam alicuius rei: & accidens, nõ quod alteri tantùm hæret, & suapte natura per se solum in rerum natura subsistere nequit, sed etiam id, quod ad constituendã alicuius rei essentiam nonnihil conducit. Verbi gratia: Trianguli naturam & substantiam esse dicimus, formam & structuram trium sese inuicem tangentiũ linearum: & stipulationis, verborũ conceptionem & interrogationem: quam sequitur conueniens &

legitima responsio. Rursus eiusdem triãguli esse proprietatem ponimus, haberẽ tres angulos, duobus rectis æquales: & stipulationis, consentientes inter se ligare & constringere, vel simile quippiam. Quoniã igitur res, quas contemplamur, sunt diuersæ & variæ, idcirco etiam varia & diuersa necesse est esse cognoscendi instrumenta. Substantiam enim & naturam alicuius rei, opẽ definitionis inuenimus: affectiones verò, demonstrationis beneficio. Atq; hæc quidem duo cognoscendi instrumenta, sunt præcipua, tum quia ex his reliqua scaturiunt oriunturq;, tum quia ad hæc rursus destinantur. Quoniam definitio constat ex generẽ proprio, & suis differentijs: genus autem est duplex, summum seu supremum, & infimum: summum resoluendo, infimum diuidendo inuestigatur. Ex quo efficitur, non esse plura neque pauciora, quàm quatuor cognoscendi instrumenta, definitionem nimirum, demonstrationem, diuisionem, atq; resolutionem. Idem numerus ex modis cognoscendi ostendi potest. Sed quia modi cognoscendi opponũtur modis quærendi res, et quæsita notiora nobis sunt quàm cognita, propterea ex numero quærendarum, numerum quoq; cognoscendarũ rerum (quòd oppositorum ratio ac disciplina eadem sit) intelligemus. Eorũ autem quæ quærũtur, vt Aristot. ij. lib. post. Analyt. scribit, quatuor sunt genera: aut

enim

enim quæritur an res ſit, aut quid res ſit, aut qualis ſit, aut propter quid res ſit. Cùm ergo quatuor ſint quæſita, totidem quoq; modos quærendi & cognoſcendi, itemq; res cognitas haberi dicendũ eſt. Prima igitur quæſtio, an res ſit, cõmodiori inſtrumento inueniri quàm reſolutione, nõ poteſt: quia reſolutio, vt ſæpe antea dixi, ſeruit propriè inuentioni, & aptiſſima eſt ad quærenda artium ac ſcientiarũ principia. Altera quæſtio, qua quid res ſit, quæritur, definitione explicatur. Qualis autem ſit, diuiſione oſtenditur: quia diuiſione partes rerum fuſe proponuntur, & res quæ vna eſſe videtur, in multa membra & capita diſtenditur. Denique propter quid res ſit, ſola demonſtratio oſtendit: nam hac quæſtione ſola rei cauſa interrogatur: cauſa autẽ, ut Ariſtot. eodem lib. inquit, ſcientifica ratiocinatione inuenitur. Cognito numero horũ inſtrumentorũ, de eorũ natura dicamus neceſſe eſt. Atq; de demonſtratione & definitione dicam pauca, quoniã abundè de his à Peripateticis et Dialecticis recentioribus diſputatũ eſt. De alijs duobus, hoc eſt, inſtrumẽto reſoluendi et diuidendi, diſſeram vberius, quia obſcuriora ſunt, & à noſtris Dialecticis nunquã, aut perperã, explicata, aut ad vſum reuocata: vt non ſine cauſa à Platone in Phylebo dictum ſit, eum qui hæc ad vſum reuocare valeat, aut Deum eſſe, aut Deo quamſimillimum. Itaq; ut à

prioribus exordiamur, demonstratio est ratiocinatio, vt Aristoteles definit, pariens scientiam, hoc est, συλλογισμὸς ἐπιστημονικός. Parit autem scientiam, quia inuestigat causam veram & necessariam, cur subiecto generi aliqua affectio siue passio insit: habetq; vim concludendi efficiendiq; veri: quia non solùm continet causam conclusionis, sed & rei demonstratæ: hoc est, in causa est cur aliquid concludatur, & cur id quod concluditur, sit verum: nam veritas est finis scientiæ speculatiuæ, quemadmodũ practicæ, quæ actiua dicitur, bonum: & habitus factiui, ipsum opus. Siue igitur per causam effectus, siue per effectum causa demonstretur, semper demonstratio causa est, cur verum concludatur. Est enim duplex demonstratio: altera cùm ex causa effectum, vt fumum ex igne: altera cùm causam ex effectu, vt ignẽ ex fumo, colligimus atq; demonstramus. Ex his perspicuum est, vniuersam demonstrationẽ tribus partibus minimis absolui: nimirum generẽ subiecto, de quo aliquid probatur: & affectione siue passionẽ, quæ subiecto inesse ostenditur: et principijs proprijs. Principia appello ea, quæ cõplexa dialectici, vt propositiones, nuncupãt. Sunt autem principia propria, prima quædam ac necessaria et vniuersalia pronunciata, quæ quòd notissima sint, demonstrationẽ non recipiunt, per quæ passionem subiecto inesse demonstramus.

ſtramus. Ex his enim ſolis demonſtratio, cuius effe-ctus ſcientia eſt, gignitur: atq; idcirco hoc genus principiorum ἀποδεικτικῶν à medicis & philoſophis appellatur: quandoquidem quatuor ab his lemmatum & propoſitionũ, ex quibus ratiocinationes confici poſſunt, eſſe ſtatuuntur. primum eſt earum, de quibus dictum eſt: alterũ dialecticũ ſeu τοπικὸν, ſeu gymnaſticum, vel quomodocunq; tandem quis appellare velit, nuncupatur: quo quidem non perfecta rei ſcientia, ſed probabilis quædam notitia nobis comparatur. Huius vſus varius eſt & multiplex: nam primùm quidẽ, vt ſcientiæ capaces ſimus, prius nos idoneos ac inſtructos efficit: deinde impedimenta et dubia, quæ animum hominis ligarę ſolent, qua rationę amouenda ac diſſoluenda ſint, oſtendit: deniq; peritè nos in vtranq; partem dubitarę, & difficultates rerum oſtendere, ac cum hominib. de qualibet re propoſita ingenioſe & probabiliter colloqui docet. Tertium autem rhetoricum, quòd rhetores & oratores eo potiſſimum vtantur, dicitur: idq; nõ iam amplius ad ſcientiam rei parandam, vel ad gymnaſian idoneum aut vtile eſt, ſed vulgò tantùm et craſſioribus ingenijs accõmodatum, quibus quouis modo rem aliquam probari cupimus, vt vel officiũ præſtent, vel ab eo quod contra officium eſt, abſiſtant. vel oratio, qua apud iudices, quibus parum fidimus, nec ſatis pe

ritos, & rerum cognitionę instructos putamus, iniuriam à nobis propulsarę poßimus, et innocentiã aduersus nocentes defenderę: aut omnino pulchrũ aliquid laudarę, aut ecõtrà, id quod turpe est, vituperare. Et hoc quidem propositionũ genus admodum, vt Cicero de Oratorę scribit, periculosum est, si in virũ aliquem improbum, qui libertate loquendi abuti velit, ceciderit. Quartum autem, quod sophisticũ sumptionum genus appellatur, inutile prorsus & vitiosum censendum est, atq; cognoscendũ id quidem, nõ vt eo vtamur, nisi quod dici solet, clauum clauo pellere propositũ nobis sit, sed ne ab alijs qui eo utuntur, decipiamur. De his propositionũ generib. Aristoteles in libro de sophisticis Elenchis, de prioribus tribus in Topicis & Rhetoricis & Analyticis posteriorib. abundè disputauit. Vtile ergo est nouisse has propositionum differentias, ne quis illis deceptus, altero pro altero vtatur, seq; demonstrasse & scientificè de rę disputasse arbitretur, quum probabiliter, vel etiam (quod plerisq; accidere solet) apparenter & fucatè tantũm dixerit. Ex prioribus igitur propositionibus, quæ solæ perpetuæ & veræ sunt, demonstratio & scientia comparatur. Illustremus rem exemplo philosophico & legali. Subiectũ, de quo demonstratur paßio, sit anima: affectio autem immortalitas: principium siue axioma, quod per se mouetur esse immortale.

tale. Ex quibus partibus ita positis & constitutis, ad hunc modum fabricatur demonstratio: Quod per se mouetur, est immortale: anima per se mouetur, ergo anima est immortalis. Rursus in Iure ciuili esto genus subiectũ, miles reipub. causa absens: affectio autem, damnum seu præscriptio: principium siue axioma, cõmunis illa regula, Absentiã à repub. neque sibi neq; alteri damnosam esse debere. Ex his partib. in Iure ciuili talis nectitur ratiocinatio: Absentia à repub. neq; sibi neq; alijs debet esse damnosa: sed miles reipublicæ causa abest, ergo militi absentia in præscriptione, uerbi gratia, nõ debet esse damnosa. Ad hunc igitur modum omnes artium demonstrationes constituuntur. Sed hoc inter Iuris ciuilis & aliarũ scientiarum, quæ res necessarias et perpetuas contemplantur, præcepta interest, quòd horum demonstrationes semper sunt veræ & necessariæ & æternæ, maximeq; illarum, quæ quantitatis naturã & mathematicæ illæ speculantur: at Iuris ciuilis probationes, vt & moralis philosophiæ, non demonstrationes propriè, sed probabiles potius ratiocinationes, vt Aristoteles in Ethicis statim in initio admonuit, appellandæ sunt: earũ enim omnis fons & origo ex ratione ciuili & politica, quæ non semper vna & eadem est, petitur. Quapropter in his & similibus artibus aut nunquam, aut certè perquã raro veræ demonstratio

nes reperiuntur: & qui has in ijs necti posse contendunt, nec subiectæ materiæ, nec principiorum naturam satis intelligunt. Quid igitur sit demonstratio, et ex quibus partibus constet, iam breuiter & perspicuè explicatum est. Vberiorem enim atq; copiosiorem eius tractationẽ, ab Aristotele dialecticisq; petendam esse arbitramur. Sequitur vt de instrumento definiendi eodem compendio dicamus. Definitio igitur est oratio quæ breuiter et absolutè, quid res sit, explicat: vel, quæ rei insunt, in vnũ colligit: quibus hanc ab alijs separat, ac distinguit. Quæ autem rei insunt, ea vel substantiã & naturam alicuius monstrant, vel vt accidentia & proprietates inhærent. Definitio ergo quæ naturam rei per propria principia explicat, substantialis & essentialis appellatur: quæ verò proprietates tantùm, notionalis, & νοηματική, quòd rem velut inspiciendã intelligendamq; sensibus obijciat, dicitur: ad quam & vocis interpretamentum seu notationem referendam puto, quoniam altera ex altera ducitur. Nam qui tenet notionem alicuius rei, eundẽ quoq; tenere vocis interpretamentum oportet. Quinimò vocis explicatio semper antecedit notionalem descriptionẽ, quemadmodum & hæc veram, & substantialẽ definitionem: nam vt priores illæ & faciliores et notiores sunt, ita ad inuestigandam rei naturam, vt Aristoteles in libro de

bro de Anima, & Galenus in lib. de Hip. & Platonis dogmatibus, multum emolumenti afferunt. Vnde etiam fit, vt qui intelligit vocis interpretamentū, & notionalem definitionem, non illicò teneat essentialem: quoniam multarū rerum reperiuntur notationes ac notiones, quæ quidem res sunt cōmentitiæ, & in rerum natura nō extant: vt monstri alicuius, Scyllæ, Charybdis, Chimæræ, quarū omnium & nomina & notiones nobis formamus. Sed definitio est propriè rerum illarū, quæ reuera sunt & subsistunt. Præterea vocis interpretamenta orta sunt ex vsu loquendi hominum: nam vsus nomina rebus peperit, vnde & notationes & notiones ortum habuerunt. Proinde Auerrois in secundo lib. Aristotelis de Generatione et corruptione, vsum appellat famam. Et idcirco ait, Arabibus vocis interpretamenta verius intelligi & concipi, quàm esse nominibus expressa: quia lingua Arabica est valde inops verborū, à quibus ortum acceperunt. At Græci nominum diuites sunt, & ideo & concipiunt, & res conceptas multis sæpe nominibus exprimunt & notant. Deniq; notiones & vocis interpretamenta Poëtis & Oratoribus sunt valde peculiaria: essentiales autem, philosophorum qui rerū causas & principia quærunt, magis sunt propriæ ac familiares: his tamen & Philosophi & Medici & Iureconsulti, non tantùm ubi ve-

rarum differentiarũ penuria laborant, aut aliter res exprimere nõ possunt, sed etiã vbi obscuræ alicuius rei natura inuestiganda est, sæpenumero vtuntur. Quinimò Galenus omnis methodi & ordinis magister, frequenter admonuit, omnibus cuiuscunq; disciplinæ tyronibus non esse prius definitionem essentialem tradendam, quàm notionalis sit expressa: quoniam essentialis consentit cum notionali, & ex notionali paratur quidam aditus ad definitionem essentialem. Itaq; vt primum locum in docendo obtinet vocis interpretamentũ, ita secundũ occupat ipsa notio siue notionalis definitio: tertiũ, vera & essentialis descriptio. Eodem in docendo progressu antiqui Iureconsulti varijs in locis vsi sunt. Nam cùm Imperator de testamentis dicturus esset, initio eius interpretationem subiecit, esse nimirũ testationem mentis. Et de tutoribus acturus, à tuendo, quasi tuitores: itemq; de furto, quod à furuo, id est, nigro, quòd nocte fiat, appellatos esse scripsit: deinde paulatim horũ notiones & descriptiones subijciendo, ad earum substantiam, veramq; tutelæ, testamenti & furti naturam progressus, quot ex partibus illa constet, quotq; ad eam requirãtur conditiones ac proprietates, exactissimè ostendit. Estq; harum notionum & descriptionum in nostro Iure ciuili, sicut & in cæteris disciplinis, ingens vtilitas atq; copia. Essentialis autẽ seu

substan-

substantialis definitio est illa, quæ cōmonstrat quid sit res, et quæ eius sit natura. Substantiā constituunt genera & differentiæ substantiales, ex eadem omnino classe & ordinē, si fieri potest, depromptæ. Substantiales autē differentiæ nō eæ solùm dicuntur, quæ ex substantiæ generē sumuntur, sed quæ rei alicuius naturam ac vim explicant, ex quocunq; tandem genere sint profectæ: atque ob id nomen substantiæ latius hîc, vt & apud philosophos aliosq; artifices, & simpliciter pro re absolutè atq; per se considerata, accipitur. qua rationē & accidentia à suis subiectis abstracta per seq; expensa, substantiā haberē dicimus: veluti substantiam obligationis, tutelæ, actionis, morbi, febris, & reliquorum. Quo in loco reprehendendi sunt non pauci, qui in Iure ciuili substantiales definitiones, quòd accidentia tantùm contempletur, reperiri minimè posse existimant: habent enim & accidentia hæc suam naturam, essentiam, & vt barbari tradunt, suam quidditatem, quemadmodum & substantiæ, quæ suaptē vi in natura rerū subsistunt. Optima ergo definitio illa est, quæ coalescit ex proprio suo generē & proprijs differentijs. Generis inueniendi certa est regula ac methodus, eaq; duplex: altera est, vt proposita re definienda consideres, ex qua classe sit deprompta: deinde illi proximum genus inueniendum: quod fiet, si summum genus in propin-

qua semper genera, vsquedum ad speciem definiendam peruentũ sit, diuidas. Diuidendi autem rationem mox trademus. Verbi gratia: sit propositus nobis definiendus homo. Homo igitur cùm in prædicamento substantiæ, quòd per se subsistat, sit, ea nobis diuidenda in simplicem & compositam: composita, in animatam & inanimatã: animata, in sentientem & sensu carentem: sentientem, vt animal. Animal igitur est proximum hominis genus, quod in definitionem assumitur. Rursus Iurisprudentiæ genus hoc modo inuestigatur. Est enim hæc in generę qualitatis, eiusq; prima specie, dispositionę nimirum: omnis dispositio aut facilè aut difficilè mobilis est. difficilè, vt habitus. Habitus autẽ aut est corporis, aut animi: animi, practicus vel speculatiuus: practicus vel operis, vt ars: aut bonæ actionis, vt prudentia. Prudentia aut est priuata, aut publica. publica, aut ciuilis aut œconomica. Prudẽtia igitur ciuilis, est proximũ genus Iurisprudentiæ. Altera quærendi generis via huic prorsus est cõtraria: ut enim illa à superiorib. ad inferiora diuidendo, sic hæc ab inferiorib. ad superiora colligendo progreditur: sumit enim omnia speciei definiendæ indiuidua, aut generis definiendi species vltimas, et quid his cõmune sit, quærit. Verbi gratia: Fingamus ipsius quãtitatis discretæ, hoc est, ipsius numeri vltimas species esse ternariũ numerũ & binarium,

rium, neq; plures, neq; pauciores reperiri: aut fingamus ipsius anguli species esse tres duntaxat, acutũ, obtusum, et rectũ: aut fingamus lineã diuidi in rectã & circularẽ: aut in nostro Iure ciuili tutelã in testamentariam, et eam quæ sine testamento: deniq; furtum, in manifestum, & non manifestum. Sint igitur horum omnium vltimæ species à nobis docendi gratia sic constitutæ. Posteaquã species hunc in modum constitueris, tunc singulæ nobis sunt definiendæ: in qua definitione diligenter considerandum nobis est, quid ipsæ inter se habeant cõmune: et illud est sumendum, ac loco generis statuendum. Verbi causa: linea recta est lõgitudo sine latitudine, cuius extrema sunt duo puncta. circunducta verò est similiter longitudo sine latitudine, à cuius centro ad ambitum pares lineæ ducuntur. Nimirum cõmune apparet esse ambabus lineis, longum & latum. Longitudo itaq; & latitudo, erit illud in quo conueniunt istæ species vltimæ. Vbi autem inuenta fuerit hæc natura cõmunis, postremò perlustranda nobis sunt decem summa rerum genera, hoc est, prædicamẽta, vt sciamus in quo genere reponatur illa natura cõmunis: & hanc naturam cõmunem cum illo genere iungere oportet. Verbi causa: linea est in genere quantitatis: lineis, hoc est, vltimis speciebus inuenta est longitudo & latitudo esse communis: ergo lineæ hæc erit definitio in-

uenta, hoc est, genus definitionis, vt linea est quantitas continua, longa, sine latitudine & profunditate. Item binario & ternario cõmune est, discretum esse: nam binarius est quantitas discreta, par: ternarius discreta, impar. Numerus igitur erit quantitas discreta. Rursus anguli obtusi, recti & acuti cõmunis natura est, linearum sese mutuò tangentium ad alterutram inclinatio. Rectus enim angulus est, cùm linea recta super rectam lineam inclinat, & vtrobiq; facit angulos æquales. Obtusus, cùm recta super rectam inclinat quidẽ, sed angulos facit impares, estq; maior recto, acutus autem eodem minor. Rursus, testamentariæ tutelæ, & eius quæ sine testamento accidit, communis natura est, vis ac potestas in capite libero: & furti manifesti & nec manifesti, fraudolenta cõtrectatio. Quare & tutelæ vis seu potestas, & furti fraudolenta contrectatio, genus erunt proximum. Remoto autem (est autem remotũ horum omnium genus, relatio) in his opus non est: adhibetur enim tum demum genus remotũ, cùm genus proximum propria voce caret, & differentiæ nomen sibi vendicat, vt in lineæ & numeri definitione dictũ est. Continuum enim & discretum, non genera, aut species, sed differentiæ quantitatis propriæ sunt. Hæc igitur est altera generis inuestigandi via, sed mea quidem sententia admodum fallax & periculosa. Nam

primùm

primùm quidem, non omnium rerum, sed generum ipsorum tantùm genera inuenire docet, vt tutelæ, furti, lineæ, & reliquorũ: specierum autem non docet. Cùm enim inferiorum semper prius definitiones tradendæ sint, in quibus quid cõmune illis sit, perspici potest, indiuidua autem definiri non poßint, profectò neq; speciei genus unquam inuenietur. Deinde, ut indiuidua sunt numero infinita, ita species, etsi numero finitæ sint, tamen vix dinumerari possunt: ex quo fit, vt non omnes definiri semper valeant: etsi enim tres aut quatuor definias, quidq; his simile sit reperias, nõ tamen sequitur, eandem similitudinem cæteris quoque inesse debere, eritq; genus ipsum arctius, quàm vt singulis adaptari specieb. poßit. Huc accedit, quòd hac regula videmur petere principiũ, remq; ignotam per ignotiorẽ demonstrare. Qui enim definitionẽ, aut genus in definitione hoc pacto quærit, is ipsa definitione & genere, quæ quæruntur & ignota sunt inquirat necesse est. Certior igitur inueniendi generis, vt Plato docuit, uia est diuisio, seu instrumentum diuidendi: quod tamen suis quoq; difficultatibus nõ caret, ut Aristoteles primo de Partib. animalium lib. satis copiose demõstrauit. Tradamus modò regulam inueniendi differentiam. Est autem differentia duplex, quemadmodũ & definitio: alia enim ex natura & essentia rei fluit, ipsamq; indicat:

alia vero non monstrat substantiã rei, sed quod hanc vel sequitur, vel antecedit, & rem tantùm à re distinguit: priorem internam, posteriorem externam differentiam philosophi appellant. Differentia igitur interna et essentialis sumitur aut potius cognoscitur ex actione prima, quam definienda res siue species depromit. Primam intelligo actionẽ, ad quam aliæ actiones omnes referuntur, & cui famulantur. Neque tamen hoc loco existimandũ est, actionem hanc esse propriè differentiam, sed rei differentiam nobis prodere et indicare, formam nimirũ abditam, à qua proficiscitur hæc actio, et nomen ab ea accipit: quod exemplo illustrabitur. Ipsum quidem ratiocinari, est primaria hominis actio, quia in illam reliquæ omnes conspirãt & referuntur: eius enim rei gratia viuit, & ad vitæ custodiam nutritur & alitur: ob alimoniam capit cibum & potum, aliaq; vitæ necessaria cæterarum corporis partium, manuum videlicet, pedum, oculorum, linguæ, & similium actionib. quærit: quæ actiones omnes ad principẽ illam actionem, nempe ratiocinationem, vt dictum est, referuntur, ipsiq; famulantur. Et quamuis forma sit principium omnis actionis, & à forma initium sui motus ac generationis habeat, aliæ tamen magis ad materiã, aliæ ad formam, aliæ ex æquo ad vtrunq; referuntur: vt, progredi est opus proprium corporis: ratiocinari, animi: sen-

mi: sentire verò, vtriusq;: nam sensus est actio communis tum corpori, tum animo. Sed differentia, quæ sumitur ab actione primaria, est formæ propria: si iungatur cum genere proximo, speciem ipsam constituit: cõmunis & materiosa non item, sed cum alijs iuncta: ut, homo est animal rationale: nam ratiocinari est differentia petita à forma, quæ si iungitur cum animali, quod est genus proximum, certè constituit speciem humanã. Huius differentiæ vsus præcipuus est apud philosophos et medicos, qui rerum naturas, vires & causas contemplantur: apud Iureconsultos non item, vt paulò pòst dicam. Verùm quia nos sæpe laboramus penuria huius differentiæ quæ sumitur à forma, idcirco loco ipsius vtimur aut causa, aut effectu, aut accidente proprio, aut officio, aut partibus rei definiendæ, quæ non aliter atq; veræ differentiæ, rerum substãtias discernunt, sed earum naturã, vim atq; proprietatẽ minus exprimunt. Causarũ autem aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Externæ, vt efficiens & finis. Internæ, materia et forma. Efficiens causa, ut finit Aristoteles, est quæ primùm mouet. quæ definitio non satis latè patet, quia nõ omnem causam efficientem suo ambitu continet. Nos ergo latius vsurpantes, causam efficientem esse dicimus, non solùm à qua primò fit motus, sed simpliciter quæ rei efficiendæ præbet operam: præbet autem causa operam, aut

per se, aut per accidens. Per se, vel primò, vel vt instrumentum: nam & instrumentũ vel instrumentalis causa, vt Plato & Galenus primo de Locis affectis censuit, ad efficientẽ referri debet, quod & Aristoteli in Physicis placuit. verbi gratia: Cruditatis prima causa efficiens est debilitas seu defectus natiui caloris: vel morbus, læsæ actionis: putris humor, morbi: putredinis, obstructio. Eiusdem læsæ actionis putredo & obstructio causæ per accidens sunt. vel, vt apertius res demõstretur, faber lignarius est propriũ efficiens ipsius domus, securis instrumentum: musicus autem vel grãmaticus per accidens, quia accidit fabro lignario esse musicum vel grãmaticum. Sic Iuris ciuilis causa efficiens primaria, est Senatus, prætores, populus, plebs, Iureconsulti: per accidens autem, flagitiosa & peruersa hominũ ingenia, quemadmodum rectè dici solet, Ex malis moribus bonas leges ortas esse. Est etiã alia causæ efficientis diuisio, in coniunctam & separatam, quam Græci προκαταρκτικὴν, id est, euidentem & externam appellant. Coniuncta semper effectum comitatur, & interna est: antecedens non semper effectui hæret, neq; perpetuò adest. verbi gratia: causa efficiẽs interna actionis est obligatio: externa, pulsatio, & traditio, vel delictũ, & contractus. rursus, febris externæ causa est calor solis. Ab his igitur causis efficientib. internis & coniunctis,

iunctis, siue per se siue cum alijs iunctæ sumãtur, veræ differẽtiæ promuntur: ab alijs nõ item, nisi reliquis quoq; adiungantur. Finis est cuius gratia aliquid fit: Vt, Iurisprudentia iustitiæ, & æqualitatis tuendæ in repub. Et medicina, sanitatis in corpore humano retinendæ vel recuperandæ gratia est inuenta: nam sanitas est finis medicinæ, quemadmodũ iustitia Iurisprudentiæ. Finis autem, omniũ causarum prima, eademq; ultima est. Prima quidem, quia initiò in omni actionę & cõtemplatione, animo illam concipimus & consideramus: quæ consideratio à philosophis scopus seu propositũ dicitur. Vltima verò, quòd in executione seu actione, vltimò accidat, quemadmodũ paulò antè in tractatu de resolutionę satis abundè dictum est. Finis quoq; perfectissima ac potissima causa à philosophis nuncupatur, quia aliarũ omniũ causa est, eiusq; gratia fiunt omnia, quæcunq; fiunt, & cæteræ omnes causæ in hanc vltimã et extremã diriguntur. quapropter Aristot. eam οὗ ἕνεκα, id est, cuius gratia vocauit: materia enim formã, finis desiderio, expetit: formã, agens propter finem inducit. A finali igitur causa sæpissimè petuntur differẽtiæ, maximè in Iure ciuili, vbi et substãtiales meritò appellari debent: et demonstratio quæ ex huiusmodi definitionibus nectitur, est vera & propria. Vt enim in mathematicis formæ, in physicis, efficientis & materiæ,

ita in politicis, iisq́ue quæ ad formandos mores et vitã hominũ spectant facultatibus, finis præcipua est consideratio, aliarum autem causarum non item: neque enim tantopere refert, à quo vnumquodque, aut qua ratione constitutũ sit, quàm cuius rei gratia factum sit, intelligere. Et vt semel dicam, omnes Iureconsultorum nostrorum probationes & rationes vtplurimum à fine & peti debent & solent. Causæ internæ, vt nuper dixi, sunt duæ: materia, et forma. Materia propriè dicitur, quæ formas recipit, siue à natura, siue ab arte proueniant. Est autem materia duplex, altera propria & vera, ex qua aliquid fit: altèra non propria, sed translatitia & apparens, & secundum similitudinem sic appellata. Propria aut est naturalis, aut artificiosa. Naturalis, vel simplex, vel composita. Simplex & impermixta, quæ naturales formas simplices, & elementorũ & corporum simplicium species recipit, ab Aristotele materia prima vocatur. At composita ex quatuor elementis cõstat, quorum cõtemperatione omnia gignuntur, vt quatuor humorum elementa, partium similiũ humores, dissimilium similes, materia dici possunt. Artificiosa materia est, ex qua artifex aliquid facit, vt pannus ex quo vestis fit, & lapis ex quo domus, et lignũ ex quo arca. Huc referantur affinia & similia, veluti virtus & consensus: nam ex virtute honor, ex consensu con-

ſu contractus oriuntur. Translatitiè quoq; materia appellatur res ſubiecta, in qua artes & ſcientiæ verſantur, vt Medicina in corpore humano, Iuriſprudentia in repub. vel actionibus ciuilibus et politicis. Forma eſt, per quā res vnaquæq; eſt & ſubſiſtit, atque habet, vt ſit id quod eſt, & non aliud. Hæc duplex rurſus eſt, naturalis et artificioſa. Naturalis, quæ & omnis motus principium eſt, & cauſæ efficientis rationem habet, aut ſimplex eſt, aut compoſita. Simplex, vt forma quatuor elementorum: compoſita, ut hominis, & ſtirpis, & animalis. Hæ autem dicuntur compoſitæ formæ, non quòd ex pluribus formis conſtituantur (forma enim qualiſcunq; illa ſit, vna eſt tantùm & ſimplex) ſed quòd plurium & perfectiorum motuum, quàm ſimplex, principium ſint. Plures enim actiones ſtirpes quàm elementa, animalia quàm plantæ, & homo quàm bruta, ædere poſſunt. Artificioſa forma, eſt veluti ſtatua æris: & certa verborum conceptio, ipſius ſtipulationis. Ab his igitur cauſis tum vniuerſis, tum ſingulis, rerum differentiæ ſumuntur: interdum etiam accidente proprio, vbi ſubſtantialis differentia deeſt, vtimur. Proprium dico, quod cum re definiēda reciprocatur: ut, homo eſt animal aptum ad ridendū & ad flendum. Hoc tamen inter proprium et differentiam intereſt, quòd proprium rem à re tantùm diſtinguit: differen

tia vero non solùm distinguit, sed etiam naturam rei exprimit. Rursus, ab officio sic petuntur definitiones atq; differentiæ: vt, medicus est artifex rectè curandi vel tuendi sanitatem: vel, medicus est artifex reficiendi id quod deest, & recidendi id, quod superuacaneum est. vnde medicinã esse appositionem & detractionem Hippocrates definiuit. vt, orator est artifex bene dicendi, & Iurecõsultus de iure respondendi: & Consul, magistratus, qui consilium rogantibus præbet, et ius dicere solet. Deniq; partes pro differentijs vsurpantur. Sunt autem partium aliæ substantiales, quæq; rem statim constituunt, vt materia & forma: quibus similitudine respondent genus subiectũ & finis in scientijs seu artibus. aliæ verò integrãtes, ex materia & forma iam constantes. Et hæ aut sunt vniusmodi & similes, hoc est, simplices, & eiusdem generis, nominis, rationis et naturæ, quæ quia undiq; in sui similes partes diuiduntur, Græcis ὁμοιομερεῖς dicũtur, quales sunt nerui, caro & ossa. Omnis enim nerui vel ossis pars, nerui habet naturam et nomen. eademq; aliarum partium est ratio. Aut non sunt vniusmodi, sed diuersi nominis & naturæ, et ex simplicibus ortæ, Græcis ἑτερογενεῖς, id est, multiformes et diuersi generis partes appellãtur, quales sunt, pes, manus, oculi, quarum omnium partes non pedes aut manus aut oculi dici possunt. Ab his igitur partibus

bus hoc modo ducũtur differentiæ & descriptiones, vt, Medicina est scientia salubriũ & insalubriũ, corporum, signorum & causarum: vel, Rhetor est artifex tractandi res ciuiles: vel, musculus est pars corporis ex neruis & carne consurgens: & Ius ciuile, scientia tractandi res, personas & actiones. Atque hactenus de definitione eiusque partibus. Proximum est ab his, vt ad reliqua duo instrumenta aggrediar, nimirum diuisionem & resolutionem, quæ vt præcipuum in artibus & actionibus locum obtinent, ita & difficilioris sunt tractationis.

Diuisionis igitur vtilitas & excellentia non parua & exigua est, sed ad docendum & discendũ accommodatissima, iuxta illud: Qui benè distinguit, benè docet. Nam ad scientiæ & artis tum actiuæ tum factiuæ perfectionem, non parum affert momenti, vt quæ sine confusione omnia in omni genere disciplinarum rectè & certo ordine collocet disponatque, & dilucidè ac perspicuè, nõ aliter atque definitio, rem explicet, separetque ac reijciat ea, quæ ad artẽ tractandam nihil attinent. Quò etiam pertinet, quòd à principijs exorsi, beneficio diuisionis, vniuersas artis partes inueniendo & speculando, ad finem tandem progrediendo peruenimus, & memoria iam enumeratas collocatasque ordine partes facilius retinemus. Iam verò diuisio dux est et ratio inueniendæ definitionis,

vt ſcribit Ariſtoteles ſecundo Poſt. reſol. cap. xviij. & xix. itemq́; in primo lib. de Anima, vbi animæ definitionẽ diuiſionę adinuenit. Præterea cùm definitio mediũ in omni demonſtrationę eſſe ſtatuatur, ad definitionem autem diuiſio ſit vtilis & neceſſaria, vtiq; nec demonſtrationem ſine diuiſionę conſtare poſſe indubitatum eſt. Huc accedit, quòd neq; reſoluere, neq; componerę ſine arte diuidendi, rectè & vtiliter poſſumus: quia reſolutio & compoſitio quaſi propagines diuiſionis eſſe vidẽtur: totaq́; adeò ars Dialectica, & omnia ad veritatẽ indagandam neceſſaria inſtrumenta, à diuiſionę oriuntur. Sæpe etiam multa nobis occurrunt, quæ etſi videãtur eſſe vnum, tamen plura re ipſa ſunt, quæ diuiſionis ope nos ſeparamus ac diſtinguimus. Verbi cauſa: Si mihi occurrat ſubſtantia, eiuſq́; conceptũ, qui multiplex eſt, in animo formatum habeam, nunquam profectò exactè & bene illum intelligã, niſi ſubſtantiam diuidam, quæ multiplex eſt: diuidam dico tantiſper, donec ad ſpeciem indiuiduam ſubſtãtiæ peruenero, in qua iubebat Plato nos quieſcerę. Ad extremum, diuiſione omnes ſcientiæ ac diſciplinæ vniuerſæ conſtituuntur: maximè verò illæ, quæ in actionibus particularibus et indiuiduis, vt hæc noſtra Iuriſprudentia & medicina, verſantur. Verbi gratia: Vt ſi propoſitum alicui ſit, omnes eas ſcientias quæ quantitatis natu-

naturam cõtemplantur, inuestigare, & quot earum numero sint, inuenire, is ex diuisione quantitatis, facilè id consequi poterit. Quantitas enim aut est continua, aut discreta. discreta, vt numerus. Numerus rursus aut per se, aut relatus cõsideratur. si per se spectetur, arithmeticam gignit: si ad alium relatus, musicam. Continua aut est mobilis rei, aut immobilis: immobilis geometriã, mobilis astronomiã parit. Quòd si vniuscuiusq; rursus membri, vtputa numeri, & reliquorũ notiones compositas diuiseris, tandem illarum omnium artium partes illicò adinuenire eadem methodo poteris. Rursus, vocem quæ multiplex est, in suas formales differentias hac ratione diuidamus. Vocum aliæ sunt absonæ, aliæ consonæ. Absona est quæ articulis caret, vt vox boum, & brutorum animantium: consona, quæ habet articulos, ut humana. Hæc igitur vox aut est simplex, aut est composita: simplex, vt litera, m, vel b, vel c. composita, vt syllaba, be. Rursus vocum compositarũ aliæ nihil significant, aliæ significant aliquid. Quæ nihil significant, sunt syllabæ, vt buf, baf. Quæ significant, aut significant substantiam, aut qualitatem, aut modum, aut tempus: quædam aliquid circũscribunt horum. Si igitur fuerit vox composita significans substantiam, nomen est: quæ tempus & modum, verbum: quæ circunscribunt, reliquæ partes orationis. Ex quà

qua diuisionẽ oritur ipsa Grãmatica, eiusq́; partes. Quòd si rursus huius vocis cõpositæ differentias amplius vestigarẽ uoluerimus, certè alias quoq; discipli nas, quæ à voce dependent, vtputa Dialecticã, Rhe toricen, & Poëticen, eadẽ diuisionẽ adinueniemus: nam Dialectica voces compositas, id est, orationem quæ verum aut falsum indicat: Rhetorica, quæ ad persuasionem: Poëtica, quæ ad delectationẽ accommodata est, considerat. Hac nos diuisionẽ & in superioribus sectionibus vsi sumus, cùm non solùm omnium habituum differentias, sed & prudentiæ par tes vniuersas methodo produximus. Ex quo manife stum cuiq; esse potest, quomodo ex instrumento diui dendi, omnes artes ac disciplinæ earũq́; partes oriantur & emergant, quamq́; magnus eius sit vsus, præcipuè ijs in scientijs quæ in actionibus consistunt, in quibus cùm magna & plerunq; confusa sit omnium cõmixtio, facile erratur, nisi in promptu sit tale aliquod instrumentum, ad quod quasi perpendiculum cuncta examinentur. Quapropter apud Platonẽ in Sophista & Philebo & Phædro, longa diuisionum laudatio extat, vbi tandẽ inquit Socrates: Si nactus fuerit ducem, qui rectè partiri sciat, se ipsius tanquã Dei vestigia secuturum, propterea quòd, vt est facilis hæc diuisio ad discendũ, ita ad vsum reuocatu est difficillima. Vnde qui hanc artem negligũt, & pror-

sus ignorant, illos putat esse viliores & deteriores co quis, non diuidentibus aliquam partem per suos articulos, sed potius lacerantib. & frangentibus. Aristoteles quoq; decimo Ethic. cap. primo, grauiter coarguit priscos philosophos, qui de voluptatib. disputatu r diuisionem neglexerunt: testatur enim ipsam non contemni, nisi à viris indoctis, & ab imperita plebecula. Cùm igitur tanta vtilitas nascatur ex diuisione, primùm diuisionis nomen, & notio breuiter est explicanda: deinde quid ipsa sit, docendum. Diuisio igitur à Græcis appellatur διαίρεσις, παρὰ τὸ διαιρεῖν, quod est, diducere siue discernere. Est ergo diuisio, vt nomen indicat, nihil aliud, quàm diductio siue secretio. Secernitur autē & diducitur aut nomen aliquod multiplex, aut res cōposita. Nomen, vt vox ambigua, in distinctas suas significationes. verbi causa: Canis significat sydus cœleste, aut animal aquatile. & adoptio est, quà principis autoritate eos qui sui iuris non sunt, adoptamus: vel generale & comune nomen, quod de hac arrogatione dicitur. Et hæc diductio propriè nominatur διαστολή, id est, distinctio, & non resolutio, vt multi falsò opinantur: quia resolutio, vt paulò pòst dicam, est explicatio cōceptionis multiplicis, & cōpositæ notionis quasi euolutio. Porrò diductio nominis non solùm vtilis, sed etiam necessaria, ne nominis ambiguitate delusi, vel in docen

do, vel in disceptando decipiamur, & à Sophistis incauti opprimamur. Conducit etiã ad perspicuitatem orationis, facitq; vt de re, non de nomine, suscipiatur disputatio. Eorum autem quæ multis modis dicuntur distinctio, quemadmodũ Aristoteles primo Topicorum scribit, sumitur à sex potissimum locis. Primus est ab oppositis (sunt autem opposita, contraria, affirmatio & negatio, habitus & priuatio, & relata) quoniam si vnum oppositorũ multipliciter dicitur, alterum quoq; multis modis dici necesse est. Vt bi gratia: Si iniustitia vox multiplex est, ergo et iustitia. Secundus sumitur à casibus & coniugatis: nam si nomen aliquod varijs modis dicitur, et casum qui à nomine descendit, totidem accipi par est, & contrà: vt, si iustum multa significat, vel sanum, ergo et iustè & salubriter: iustè enim quis iudicare dicitur, vel quo ad se, vel simpliciter: sic sanum, quod efficit sanitatem, uel quod cõseruat, vel quod iudicat: quare & salubriter, tot modis concipitur. Tertius locus est generum, cuius regula talis tradi potest. Quòd si vnius nominis significata in diuersis generibus seu prædicamentis reperiantur, ipsum quoq; multiplex esse: veluti, bonum, est uox æquiuoca, quia in edendo, refertur ad actionem, efficit enim voluptatẽ vel sanitatem: in iustitia, vel alia quauis virtute, quæ etiam bona sunt & dicuntur, ad qualitatẽ. Est etiam

bonum

bonum tempore, vt occasio: & in relatione, vt tutela: itemq; in quantitate, ut cõmensuratum & finitum: & sic in reliquis prædicamentis. Eadem ratio est si alicuius vocis cõtrariæ significationes, in diuersis generib. aut prædicamentis existant: nam ex tunc nomen quod illi voci multiplici opponitur, varium sit oportet. Quartus locus est compositarũ rerũ definitio. exempli gratia: Canis dicitur de cœlesti, & de animali quadrupede, & aquatico. Definiendæ igitur sunt hæ voces compositæ, & postmodum rescindendæ differentiæ, atq; inter se comparandæ: quòd si eædem sint, vox quoq; simplex: si diuersæ, multiplex futura est, hoc pacto. Canis est sydus cœleste, per cuius accessum ad nos, magni calores in aëre accendun tur. Canis verò terrestris, est animal quadrupes, domesticum, latrabile, aptum ad venandum. Aquaticus canis, est piscis marinus esui aptus. Demantur ergo iam voces compositæ & definitæ, conferanturq; inter se differentiæ: differentiæ autem sunt, sydus cœleste calorem afferens, & animal quadrupes domesticum, latrans, ad venationẽ aptum, itemq; piscis marinus esui aptus: hæ igitur differentiæ valde inter se dißident, nihilq; cõmune habent: quare maximum indicium est, vocem hanc Canis, quæ de multis dicitur, multiplicem & compositam esse. Quintus locus in cõparatione consistit. Etenim si vna eademq;

ſit vox, quæ de multis enũciatur, illaq́ omnia de quibus dicitur, inter ſe conferri, vel ſecundum magis et minus, vel æquale & ſimile nequeant, tum æquiuoca ſit ipſa neceſſe eſt: ut, acutum dicitur de ſapore & voce, ſapor autem nec eadem ratione, nec magis vel minus acutus eſt, quàm uox, quare acutum, eſt vox compoſita. Vltimus inueſtigandæ multiplicitatis locus à diuerſitatẽ ſumitur, tum generũ quorum ſunt differentiæ, tum differentiarũ, tum etiam ſpeciei & differentiæ. Cùm enim diuerſorum generum & non ſubalternatim poſitorũ diuerſæ quoq; ſpecie ſint differentiæ, vt animalis & ſcientiæ, videre oportet, an ea quæ eodem nomine ſignificantur, diuerſorũ generum & non ſubalternatim poſitorũ differentiæ exiſtant: vt, acutum dicitur de voce, ſapore, & monte. differt enim vox à voce, quòd hæc acuta ſit, illa grauis. Itemq́, ſapor à ſaporẽ, & mons à montẽ. Quare acutum æquiuocũ erit, quia eſt differentia generum diuerſorũ nec ſubalternatim poſitorũ: alterum enim ex ſubſtantiæ, alterum qualitatis, tertium ex quantitatis ordine ſumptum eſt. Eadem eſt ratio differentiarum: quia ſi illarum rerum, quæ vna voce continentur, diuerſæ ſunt differentiæ, vox quoque multiplex erit. vt, color dicitur de corpore, & oratione Rhetorica. coloris autem in corporẽ differentiæ ſunt, congregatio & diſgregatio radiorum viſualium. In oratione

tione rhetorica eiusdem coloris differentiæ reperiuntur diuersæ. color igitur significat plura, quia earundem rerum, eædem quoq; sunt differentiæ, quemadmodum diuersarum, diuersæ. Ad extremum, ad significata vocis recurrere oportet, exactéq; videndum, an vna eius parte species, altera differentia indicetur: fieri enim non potest, vt species differentia sit, vel contrà: vt, τὸ λευκὸν, id est, albũ, apud Græcos est multiplex: quia in voce differentia est, in colore species. Hi ergo sunt loci ex quibus multiplicitas alicuius dictionis methodo inuestigari atq; deprehendi potest: persequamur modò diductionem seu diuisionem rei. Huius differentiæ sumuntur à diuersitate rerum. Res enim aliæ sub intellectum, aliæ sub sensum cadunt: hoc est, rerum aliæ sunt sensiles, aliæ intelligibiles. Intelligibiles res sunt, vt genera & species, & simpliciter notiones & conceptiones mentis, quæ animo formantur. Res sensiles aut sunt accidentia, aut subiecta: Ex quorum membrorũ complicatione, numerus diuisionis rerum ostenditur: nam diuidimus aliquando speciem indiuiduam in sua singularia: quandoq; genus in suas species per veras & oppositas differentias, aut subiectum aliquod in substantia, quæ appellatur totius diuisio in partes: aut subiectum in accidentia, aut accidentia in sua subiecta, aut accidentia in alia accidentia. Speciei quidem

diductio in sua singularia, rectius vocatur enumeratio, quàm diuisio, quia caret arte & methodo. Et quamuis vtilis sit tum medicis tum philosophis, frequentius tamen vsurpatur ab Oratoribus et Poëtis, itemq; nostris Iureconsultis. Generis verò distributio propriè uocatur diuisio: in ea enim omne id quod vtile est accipitur, quod inutile atq; superuacaneum reijcitur. Porrò genus aut est vniuocũ, aut analogũ. Analogũ, in quo partiũ reperitur disparilitas: nam aliæ partes sunt priores, aliæ posteriores, aliæ nobiliores, aliæ ignobiliores. verbi causa: Ens analogicè dicitur de substantia & accidente: nam substantia est Ens, & accidens est Ens: sed prius conuenit substantiæ, deinde accidenti, quia substantia est prior natura ipso accidente: quinimò accidens est propter substantiam Ens, quia pendet & nascitur à substantia. Ad eundem modum anima est genus analogum rationalis, sensitiuæ & vegetatiuæ: quia primùm dicitur de rationali tanquã nobiliori, postmodum de sensitiua, ad extremũ de uegetatiua. Similiter natura dicitur analogicè de forma et materia. Itaq; hæ diuisiones omnes sunt diductiones generis analogi in suas species analogas: vt, Ens aut est substantia, aut accidens. Anima aut est rationalis, aut vegetatiua, aut sensitiua. uel, natura aut est materia, aut forma. Sed enim in genere vniuoco species omnes sunt tẽpore pares, &

res,& æquabiliter sui generis, à quo deducũtur, participes. & hæc diductio maximè propriè & verè diuisio appellatur. Fit autem duobus modis: aliquando enim genus in suas species, aliquando in differentias distribuimus. Species, vt adoptionem in arrogationem & adoptionem: vel qualitatem in habitum, naturalem potentiam & impotentiã, paßibilem qualitatem, formam & figuram. In differentias (quæ & vera diuisio est) vt, animal in rationale & irrationale. Differentiæ vnde sumantur, prius dictum est. Itaq; illæ veræ sunt diuisiones, quæ habent differentias essentiales, & à formis rerum ductas, veluti est prior illa: & hæc, propositio aut est simplex, aut composita. Itemq;, furtum aut est manifestum, aut nec manifestum. Quoniam autem paucæ (vt sæpe antea monuimus) sunt veræ quæ à formis ducuntur differentiæ, idcirco illarum loco quandoque materiam, quandoq; efficiens, interdũ finem, quandoque etiam effectum sumimus. veluti cùm actiones diuidimus in ciuiles & prætorias, efficiente causa vtimur: cùm in persecutorias rei, & pœnales, & mixtas, fine: cùm in simplicis, dupli, tripli, quadrupli, uel bonæ uel malæ fidei, forma: deniq; cùm in eas quæ persequuntur solidum propter priuilegia competentia vel alias causas, effectu. Sed in hac diuisione multa solent cõmitti errata, vt Aristoteles lib. primo de

Partibus animalium copiose scriptum reliquit. Hæc tamen inter reliqua magnopere sunt cauenda. Primum est, ne differentias longè dißitas, id est, mediatas accipiamus, sed proximas & oppositas, quales sunt, quæ ducuntur ab actionibus formarũ, alijs'ue. Hæc enim non est perfecta diuisio: Substantia sentit, aut non sentit: vel, homines aut sunt liberi, aut serui: quia non diuiduntur per proximas differentias. quare illi diuisioni nihil deest: Substãtia est aut corporea, aut incorporea: &, hominum vel personarum aliæ sui iuris sunt, aliæ alieno iuri subiectæ: & harum rursus, quædam in potestate parentum, quædam uerò in potestate dominorum. latius enim patet hæc diuisio altera illa, atq; idcirco præcedere debebat priorem: quem tamen ordinem Iustinianus non obseruauit. Quòd si quis dixerit, eam ob causam Iustinianũ Imperatorem personas hoc modo diuisisse, quòd libertas sit iuris naturalis, seruitusq; iuris gentium, patria autem potestas Iuris ciuilis tantùm, is sciat se multũ decipi. Etenim cùm dicimus libertatem esse iuris naturalis, tum minimè vt differentiæ alteram partem seruituti opponimus, sed potius vt habitum priuationi: nam seruitus naturalem libertatem adimit ac tollit. Igitur hæc diuisio hominum in seruos & liberos, de iure gentium intelligenda est: neq; enim alij serui, alij liberi, iure naturali sunt, sed liberi omnes, serui autẽ nulli.

nulli. Itaq; hæc personarum differentia tota est iuris gentium, ita vt libertas duplex sit: altera quæ à iure naturali inuenta & orta est, quæ omnibus cõuenit: altera autem à iure naturali relicta, et iure gentium confirmata, ita quidem vt perinde se habeat ad posteriorem illam, quemadmodum materia ad formam, suntq; inter se æquiuocæ et homonymæ. Nam si quis exactè diuidere velit, ita faciat necesse est, nimirum eorum qui iure naturali liberi sunt, alios in libertatẽ illa iure gentium permansisse, & confirmatos esse, alijs autem eodem iure libertatem ablatam esse. Quare libertas quæ seruituti vt differentia opponitur, & ex aduerso respondet, iuris gentium censenda est. De patria autẽ potestate, quòd & illa simpliciter & natura sua sit iuris gentium, nemo qui vel minimũ historiarum lectionem degustauit, ignorat: forma tamen & certa eius ratio, Iure ciuili primùm adinuenta est, quemadmodũ & contractuũ & multarum aliarum rerum. Alterum vitium quod fugiendum, illud est, ne sumamus differentias quæ contineantur intra species generis diuisi: veluti si animal diuidamus in fœminam & marem, quia mas & fœmina, siue vterq; sexus est accidens magis cõmune quàm differentia: nam omnibus accidit, & terrestri, & aquatili, et volatili. Rectius ergo diuiditur animal, in terrestre, aquatile & uolatile. Rursus vitiosa diuisio

est, si partiamur tutelam, in filiorum vel nepotum, quia in omnibus tutelæ speciebus id reperitur. Econtrà bona est illa, si dicamus, tutelã aliam esse quæ ex testamento, aliam quæ ab intestato datur. Tertium diuisionis vitium est, si differentiæ sint accidentales & aduentitiæ vel communes: veluti si diuidamus stipulationem in græcam vel latinã: græcè enim vel latinè loqui, ad essentiam stipulationis nihil momenti habet. Sæpe etiam fit, vt non opposita, sed disparatæ tantùm in partiendo sumantur differentiæ, quod & ipsum reprehensione non caret. veluti si diuidamus res in communes omnium, publicas, vniuersitatis, nullius, & singulorum. Est enim similis simplici partiũ enumerationi, quæ nihil necessitatis in se continet. Illud etiam pro uitio apud autores haberi solet, si quis in diuidendo ad vltimam & indiuiduam speciem non descendat, sed tantùm in vniuersalibus et generalioribus membris cõquiescat: veluti si quis homines in seruos & liberos diuidat tantũ, & iam vltimam se speciem adinuenisse existimet. Quare cùm in liberis variæ adhuc reperiantur diuersitates, vtiq; & illæ ex diuisione promendæ nobis sunt: nam horum alij ingenui sunt, alij libertini. Et libertinorũ status rursus triplex est, maior, minor, & medius, vt rectè Imperator annotauit. Deniq; illud fugiendũ diuidenti est, ne existimet vnica diuisione uniuersum genus

nus exhaustum esse, aut species alicuius generis repe riri posse. Quare ne quid omittatur, plures sæpe nobis instituendæ sunt diuisiones, cùm vnica reperiri singula nequeant. Hanc legem seruauit noster Imperator in Institutionibus, maximè in titulo de actionib. & multis alijs in locis, vbi inuicem rem sæpe varijs partitionibus est persecutus. hanc à capite rursus repetitam diuisionem, Græci ἐπιδιαίρεσιν appellant: differunt enim inter se, διαίρεσις, ἐπιδιαίρεσις, & ὑποδιαίρεσις. quia διαίρεσις est prima & principalis alicuius rei vel generis in suas species per oppositas differentias dissolutio. ὑποδιαίρεσις est iam factæ diuisionis vel speciei alicuius, quæ ex primaria diuisione resultat, subdiuisio. ἐπιδιαίρεσις autem est altera principalis, seu iterata eiusdem rei vel generis partitio. verbi causa: διαίρεσις est, cùm homines diuidimus in seruos & liberos. ὑποδιαίρεσις, cùm liberos in ingenuos & libertinos. ἐπιδιαίρεσις, cùm homines in sui & alieni iuris personas secamus. Qui igitur in diuidendo ratione progredi nititur, is hæc multaque alia fugiat vitia necesse est, de quibus dicere nunc supersedeo: quia postulat hæc res methodum peculiarem, & longiorem orationem, quandoquidem est perdifficilis & obscura, in qua sæpe, vt fatetur Aristoteles primo de Partib. animalium libro, Plato philosophiæ princeps hallucinatus est. Redeo igitur ad

rem propositam. Dixi res sensiles esse duplices, subiecta & accidentia. Subiecta igitur diuiduntur in alia subiecta, cùm secatur totũ aliquod in suas partes. Partes autẽ sunt duplices, aliæ essentiales, hoc est, substantiam & essentiã rei cõstituentes, & aliæ integrãtes. In essentiales partes diuidimus tum, cùm elementũ in materiã & formã, aut hominẽ in animam et corpus partimur. quã partitionẽ imitatur illa, quæ mente & cogitationę fit, uidelicet propositionis alicuius in terminũ subiectũ & prædicatũ, vel syllogismi in propositiones præmissas et conclusionẽ. Integrantes autẽ partes sunt, ut in homine caput, thorax & venter inferior: in arbore, radix, caudex, rami, folia, flores. quanquã de folijs et floribus pleriq; diuersum sentiant, uidentur enim potius esse excremẽta, vt pili in hominę, quàm veræ partes. hoc genus diuidẽdi nuncupatur propriè partitio, quam Græci ἀνάλυσιν appellant. Diuidimus etiã subiectũ aliquod in sua accidentia. dicuntur autẽ accidẽtia, quæcũq; alieni sunt generis à rę subiecta. Quoniã autẽ nouẽ sunt genera quæ de altero dicuntur, nouẽ quoq; erunt diuisionis subiecti in accidentia, differentiæ. Aut enim diuidimus subiectũ in quãtitatẽ: vt, animal aliud est bipes, aliud multipes: &, hominũ alij sunt magnæ, alij paruæ staturæ. Aut in qualitatẽ: vt, animaliũ alia sunt fera, alia mãsueta: vel, hominũ alij sunt probi, alij improbi.

probi. Aut in relationẽ: Vt, homines alij sunt liberi, alij serui. Aut in paßionẽ: ut, animalia alia spõtè, alia à patre generãtur. Aut in actionẽ: ut, animatũ corpus aliud sentit, aliud nõ sentit. In tempus: Vt, flores alij æstate, alij autumno, alij hyeme nascũtur. In locũ: ut, animal aliud in aquis, aliud in terra, aliud in aëre degit. Aut in situ: Vt, animalia alia prona, alia recta incedunt. Aut in habitũ: Vt, animalia uel pelle uel testa tegũtur. Supersunt alij duo diuisionis modi, qui in nostro Iure ciuili sunt freqũetes et Vsitatißimi, cùm Videlicet diuidimus accidentia in accidentia, uel accidentia in sua subiecta. Ad accidentis enim in accidentia diuisionẽ referuntur omnes ferè actionũ, & obligationũ, pœnarũ, delictorũ, magistratuũ, & cæterarũ penè rerum omniũ diuisiones. Ad accidentis in sua subiecta diuisionẽ pertinet illa, cùm diuidimus actiones in rem uel personã: & sanitatẽ, in similiũ et dißimiliũ partiũ bonam affectionẽ: et candorẽ, in albedinem niuis, lactis, cerusæ et eboris. Sunt igitur Variæ rerũ diuisiones, propter Varios & diuersos hominum diuidentium scopos atq; sententias: alij student finem ostendere per diuisionẽ, alij autẽ modum (modum dico aut contemplandi, aut agendi) alij materiam, alij instrumenta, et alia id genus plurima. Atque hactenus quidem de diuisionẽ seu instrumento diuidendi: persequamur modò instrumentum resol-

uendi, quod ſuperiori eſt proximum & cognatum, atq; ita ſimile, ut multi alterum ab altero, quo diſcrimine ſeparentur, intelligere nō potuerint, ob idq; ſæpe cōfundant: etenim utrunq; verſatur in progreſſu, inter vniuerſalia & particularia, unāq; rem partitur vel diffundit in multa. Multū tamen inter hæc duo intereſt: quia ex diametro oppoſita eſt reſolutioni diuiſio, duabus potiſsimùm de cauſis: altera quidem, quia diuiſio utitur cōtrario progreſſu quàm reſolutio, quia diuiſione reperitur genus inferius, reſolutione ſuperius: nam reſolutio exordiū ſumit à particulari aliquo compoſito, illudq; reducit in ſuas cauſas proximas, & has rurſus in alias atq; alias, tantiſper, donec ad vltimum aliquod principiū, illudq; primum, quod in alia reſolui minimè queat, peruentum ſit, quod vel contemplatur artifex, uel ad actionem & opus poſtmodum reducit. Sed diuiſio non reſoluit particulare aliquod in ſuas cauſas, ſed potius uniuerſale in ſuas ſpecies atq; differentias: qui progreſſus eſt priori valde contrarius. Quemadmodum autem progreſſus inter ſe ſunt contrarij, ita etiā termini horum progreſſuum inter ſe ſunt oppoſiti: principium enim reſolutionis eſt ipſum particulare, finis vniuerſale: at diuiſionis principium eſt ipſum vniuerſale, finis verò ſpecies infima & res indiuidua. Altera uerò huius diuerſitatis cauſa eſt, quia diuiditur id, quod

etſi

etsi apparet esse vnum, reuera tamen in se est multiplex: ut, substantia, corpus, animal, obligatio, actio. Hæc quidem sunt multiplicia, idcirco diuisione explicantur, & diducuntur in suas subiectas species et indiuidua, per oppositas differentias. Resoluitur autem quod apparet multiplex, quia est confusum, sua tamen natura est vnũ: qualis est notio seu conceptio finis alicuius cõfusa, quæ potius explicatur, quàm diuiditur, per suas causas & principia vltima: ut, homo est natura quædam cõmunis, & notio quædam formata ex omnibus singularib. hominibus: hæc igitur notio ut intelligatur, debet resolui in suam simplicitatem. Simplicitatem voco principia illa, quæcunque illi sunt attributa ordine quodam. verbi causa: iure resoluitur homo in mortalitatem, rationem, animal, corpus & substantiã. Substantia autem est simplicitas illa, in quam vniuersa resolutio decumbit. Quemadmodũ autem diuisio opponitur resolutioni, ita etiam reliquis duobus, demonstrationi nimirum & definitioni. Definitioni quidem, quatenus quòd definitio contractum proponit, ipsa in partes dissoluit, & omnino posterior est ipsa definitione. Demonstrationi verò, quia demonstratio plura in vnum componit, & paßionem suo generi subiecto iungit: diuisio autem ea rursus diuidit, & in plura dissecat. Resolutio igitur seu instrumentũ resoluendi est quo-

que multiplex & homonymum, vt & tria priora instrumenta: alia enim est finis & effectus in suas causas, alia causarum in suos effectus & fines: utraque maximè vtilis & necessaria, non tantùm philosophis & medicis, sed etiam Iureconsultis & cæteris artificibus, qui proposito fine eiusq; notione, speculando vel consultando, illum resoluunt in sua principia ultima. Vltima dico, quæ in alia non queunt resolui: & hoc instrumentũ ordini resolutiuo est simillimum: quinimò ab hac specie ordo resoluendi & nomen & originem traxit, et progressus à fine ad principia est idem in utroq;. In eò tamen differunt, ut antea quoq; dictũ est, quòd ordo est dispositio partium totius alicuius scientiæ vel artis. Instrumentum autem resoluendi in ipso ordine ueluti vis quædam & methodus continetur: atque idcirco à recentioribus Græcis hoc instrumentum resoluendi, plerunq; uia, plerunq; methodus resoluendi dicitur. Porrò autem resolutio effectuum in suas causas, propria & maximè peculiaris est medicorum & philosophorum, qui cùm principia & causæ rerum obscuræ sint, & nos plerunq; lateant, effectus autem ante oculos positi et conspicui omnib. conantur methodo seu instrumento hoc inuenire prima elementa et principia rerum, ijsq; inuentis uel contemplari ortus & generationes rerum, uel remouere, vt postmodum tollantur illa-

rum

rum causarum effectus, qui inde fluunt & gignuntur. Iureconsulti raro hoc generę utuntur, propterea quòd existimant causas suorum effectuum esse politicas & morales, & in communi vsu ac vitæ consuetudine positas, nec magna ob id inquisitione indigentes. Vt autẽ res exemplis patefiat, sic habeto. Medici cùm uolunt remouere febrem ardentem, quam causon appellant, sic eius causas inuestigant. Febris est quoddam incendium: Incendiũ autem non excitatur à calore natiuo, qui benignus est & blandus, sed ab acri & mordaci: mordax autẽ fit propter magnam putredinem. Putredo oritur, quia prohibetur transpiratio seu ventilatio: quia cõpressus calor cùm nequit liberè ventilari, rapit alimentum suum ad putredinem. Inhibetur porrò ventilatio propter obstructionem meatuũ in corporę. Quod autem obstruit, peccat aut quantitatę, aut qualitate. Quantitate, vt abundantia humorum: qualitate, vt humorũ crassitie vel lentore. Crassitię, quia cùm non possint liberè excuti, obstruunt: tenacitatę, quia suo lentore adhærescit, & propter hanc pertinaciam locus obstruitur. Hoc igitur modo, & hac mirabili gradationę, febris, quæ est effectus, resoluitur à medicis in causas proximas atq; principia vltima, ut cognitis ijs à corpore humano arceatur atq; tollatur. Etsi autem nostri Iurecõsulti hac specie resolutionis raro vtuntur,

est tamen & ipsa vtilis & accõmodata ad docendũ & inuestigandum res ad constitutionem seu essentiam alicuius necessarias. Verbi causa: si propositum nobis sit inuenire essentiam & substantiam nuptiarum seu matrimonij, hoc modo progrediendum erit: atq; initio quidem statuendus matrimonij finis: finis autem nuptiarũ vel matrimonij nullus alius est, quàm propagatio sobolis, & societas uitæ, vt hac humano generi (quemadmodum Imperator in constit. de ijs qui nup. iterant, ait) quadam veluti artę conquisita immortalitas inducatur, & nos prosapia filiorum procreatione renouata, in perpetuum viuamus ac duremus. Vt autem procreatio sobolis habeatur omnino, procreatore seu genitorę, & ex quo soboles gignatur seu procreetur, hoc est, mare & fœmina opus est. Porrò soboles procreari non potest, nisi vterq; & mas & fœmina apti sint ad generandum & procreandum. Sunt autem tum demum apti & idonei, cùm debito & idoneo tempore & ætatę coniunguntur. Debitum & idoneum tempus est pubertas, quã natura nemini ante decimumquartũ in masculis, vel duodecimũ in fœminis tribuit. Eadẽq; natura simul ingenerat magnã quandã illecebrã amoris erga eos qui procreantur, vt non tantùm ea quæ genita sunt, esse, sed bene quoq; & feliciter esse atque viuerę, omniaq; quæ non modò nobis, sed & coniugi &

gi & liberis suppeditent ad vitæ cultum, adesse cupiat: quibus cõparatis, & idoneè constituta re familiari, tum demum de vxore cogitamus et liberis. nec est ferè quisquã, qui maritus et pater esse velit, antequam bene parata et instructa habeat ea, quæ adsint ad vsum futuræ familiæ necessaria. Tempore igitur commodo & opportuno, atq; ætatę ad generandum apta, in matrimonio opus est. Porrò autẽ omnis procreatio sine coniunctione maris & fœminæ debitæ ætatis, non fit, atq; idcirco cohabitatione & consortio quodam indiget. Coniunctio autem vaga est & incerta, vt bestiarũ: aut certa & legitima. Vaga & incerta ad vsum matrimonij, ad propagationem sobolis, ad retinendam amicitiam ac familiaritatem nihil conducit, propterea quòd coniunctio citra amorem non fit. Vnde natura mutuũ quendam amorem tam viro quàm vxori ingenerauit, quo se inuicem complecterentur. quod autem amamus, id uolumus esse nostrum, & quidem totum nostrum: quare vt cum ea iucundißimè & arctißimè, quam diligimus & amamus, atq; sine riuali (cùm socij impatiens omnis amor sit) viuamus, nemo nõ suam, natura duce, haberę cupit. Adhæc cũ matrimonij finis sit procreatio sobolis aut prolis, eiusdemq; tum nutricatio tum educatio, cura & fides atq; disciplina, fit vt filij neq; educari, neq; etiam generari valeant, nisi certi

ſint, ex quibus gignãtur parentes. generari quidem, quia fornicatio & vagus concubitus, ut cuiq; patet, non ad generationẽ, ſed ad explendam animi & corporis libidinem, more beſtiarum, apta partui eſt. Educare uerò, quia tam matrem in nutrienda, quàm patrem in educanda prole ſolicitum eſſe oportet. Educare autem & inſtituere nõ poſſunt, niſi ſuos eſſe intelligant. Intelligunt eſſe ſuos, eosq; amant et diligenter inſtituunt, ſi ſimul habitent, omniaq; ſtudia & conſilia, operas, & id genus reliqua ſibi inuicẽ communicent. quæ omnia vago & incerto cõcubitu impediuntur et abolentur, quippe cùm in eo tam in educatione quàm inſtitutione à prole diſcedatur, & liberi more brutorũ animantiũ negligantur. Huc accedit, quòd cõſuetudo & ſocietas huius vitæ, in proſperis cõſtantia, in aduerſis fides, in vtriſq; dolor communis, aut lætitia, omnis deniq; rerum cum ſumma animi charitate, ſumma voluntatis cõſenſio, niſi ab vno præſtari nequeunt. Iam verò propriæ vxoris et non dubiorum filiorũ amor auctus, auget etiam habendi ſtudium, vt nihil eorum deſit, quæ ad victum perſonæ, mox ad cultum opus ſint. Ex quo & ſocietates ineuntur, & cœtus celebrãtur inter ſe, conuerſariq; incipiunt homines, quò comparatis non tantũ opibus, ſed etiam amicitijs, firmiora vitæ præſidia filijs noſtris relinquãtur. His coniugiorũ certorum initijs,

tijs, non tantùm confirmatæ sunt hominũ inter homines amicitiæ, sed etiam propagatæ liberorum affinitates et familiæ, ex quibus postea ortæ sunt respub. & ciuitates. Vt igitur matrimoniũ constare posit, certo concubitu, & propria vxore maritus vtatur necesse est. Et quanquam hæc coniunctio inter certa esse debeat, non tamen eam inter quasuis personas, prudentes legislatores contrahendam existimarunt, sed quásdã nuptias ipsa instigante natura rectáq; ratione prohibuerunt: veluti inter parentes & liberos, siue proximos, siue vlterioris gradus sint, usq; in infinitum: tum quia ab huiusmodi coniunctionę pudore quodam naturali, & homines & bruta animantia, teste Imperatore in tit. de incest. & nefarijs nuptijs, Nouell. xij. abhorrent: tum quia, vt Plato ait, si permitterentur, ex discrepantiũ ætatum coniunctiõ ne nimiũ imbecilles partus ederentur parentũ enim iam prouecta ætas, adolescentulorum matrimonijs haud bene conueniret. Neq; solùm inter parentes & liberos, sed & alios affinitatę vel cognatione sibi iunctos quædam matrimonia coërceri placuit. Primùm quidem, ne semina & cognationis nomina confunderentur, idemq; fiat & frater & pater. eiusdemq; sit vxor & mater. deinde verò, ne familiæ afficerentur iniuria. deniq; vt hominum inter se familiaritas ac necesitudo quãlatisimè spargeretur. Eorũ enim

qui respub. instituerunt, hoc vnum semper studium fuit, vt magna & arctissima ciues suos amicitia inter se conciliarent: quoniã autem nullum vinculum ad stringendã fidem arctius est eo amore quẽ quisq; nostrûm habet in suum genus, ob id consanguineorũ nuptias, magna imposita pœna ijs qui cõtra facerẽt, prohibuerunt, quo alienis sibi sociandis, istum cognatorum inter se amorem quãplurimis cõmunicarent. Sunt & nuptijs impedimenta interposita, vt peregrinitas, & conditio vitæ, de quibus nostri Imperatoris sacratissimæ leges nõnullæ extant. Patet igitur coniunctionem hanc couiugũ non tantùm certam, sed & legitimam esse oporterę. Porrò autem vt propagationi & educationi liberorum, itemq; societati coniugum, quoad eius fieri posset, consuleretur, idcirco non momentaneam, sed firmam & perpetuam, & vt nostri loquuntur, indiuiduam, voluerunt legislatores hanc esse coniunctionem atq; vitæ consuetudinem, quæq; non nisi morte, aut secundum præcepta legũ facto diuortio dirimeretur: ex hac enim diuturnitate ac perpetua conuersationę futurũ esse conspexerunt, vt & liberi plures gignerentur, & ex nobis nati iam facilius et maiori fide atq; diligentia educarentur, instituerenturq;. Deniq; & coniuges ipsi inter se tutius & cõmodius, tam prospera quam aduersa, diuina & humana iura inter se communicarent,

rent,

rent, vitamq́ tranquilliorem & honestiorem traducerent. Iam verò quia hæc coniunctio & consuetudo uitæ nihil aliud est, quàm societas quædam, omnis autem societas citra consensum non ineatur, idcirco matrimonium consensu eorum qui contrahere cupiunt, cõstitui par est, maximè cùm nulla alia res ad custodiendam & firmandam pacem ac tranquillitatem aptior sit, quàm animorum & voluntatũ inter se conspirantium coniunctio. Ex hac igitur breui resolutione, matrimonij seu nuptiarum essentia et causæ & principia sunt adinuenta, quæ sibi inuicem iuncta eius definitionem continent. Matrimonium enim est maris & fœminæ legitima coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Eadem ratione omnes effectus in Iure ciuili, sicut & in cæteris artibus, ad sua elemẽta diduci possunt, quæ tamen docendi ratio nostris planè est ignota: eam enim si intelligerent, non tantùm felicius Iuris præcepta iuuentuti proponerent, sed etiam Iurisprudentiam methodo doceri posse proculdubio animaduerterẽt. Sed ad rem propositã reuertamur. Altera resolutionis species est, cùm finem aliquem resoluimus seu diducimus in suas causas, quæ eadem est cum priori, quoad progressum & modum ratiocinandi: exigitur enim per seriem & repetitionem principiorũ & causarũ. Sed in eo differt, quòd hæc à fine, illa ab effectu exor

dium sumit. Huius posterioris resolutionis exempla, cùm de ordinę resolutiuo dissererem, quo, qua ratione vniuersa artis capita inueniri debeant, perspicuè exposui. Exemplo tamen ex Iure nostro desumpto, nostris pragmaticis familiari, rem illustrabimus. verbi causa: Sit mihi vendita res aliqua, & nondum à venditorę tradita: hanc igitur rem cupio mihi acquirere, & meam esse: hic enim esto finis, quem sic resoluimus. Acquiritur nobis res, aut consentiente aut inuito aduersario. consentiente, si rem venditã ipse tradat: inuito, aut vi, aut officio iudicis. Si igitur acquirendam officio iudicis existimamus, certè iudici executio facienda est. Executionẽ autem facere non potest iudex, nisi sententiã prius dixerit, mihiq́ rem adiudicarit. Sententia fertur de re controuersa inter actorem scilicet & reum: cõtrouersia ergo aperienda est. Aperitur autem probationę contractus venditionis, quæ sumitur à fide instrumentorum vel testium. Quoniam verò probatio, alicuius rei probatio est, idcirco prius id proponendũ nobis est, quod probare intendimus. Proponimus autem causam seu accusationem iudici: accusationę igitur prius opus est. Sed enim accusarę non possumus, nisi aduersariũ initiò in ius vocemus. vocandus ergo à ministro, & citandus primò reus. Et hoc pacto resoluitur finis in suas causas, & prima principia, à quib. incipit actio:

nam initiò citatur reus, deinde proponitur iudici accusatio, uoce vel libello, mox producuntur probationes, his auditis fertur sententia, quam sequitur executio. Tertia resolutionis species est quæ vtitur contrario progressu, quàm priores illæ de quibus modò dictum est: nanque causas & principia reducit in suos effectus, quam quoque imperiti aliqui philosophi & medici cõfundunt cum ordinę compositiuo, cùm tamen eodem modo differat & distinguatur, vt ordo resolutiuus ab instrumento resoluendi: nam quemadmodum prima species continetur in ordine resolutiuo, ita secunda cõtinetur in ordinę compositiuo vt propria via: & vt ordo compositiuus opponitur resolutiuo, ita prima species opponitur secundæ. Sunt etiam qui postremam speciem non separant à diuisione, sed vehementer errant: quia diuisio est instrumentum diuidendi genus per differentias oppositas atq; proximas. Hæc verò resolutio est instrumentũ dissoluendi & reducendi causas & principia in suos effectus, nec opus habet differentijs oppositis, sed sola causarũ in suos effectus repetitionę. Ne longiùs progrediamur, pleuritis apud medicos, hoc est, dolor lateris, resoluitur in difficultatẽ spirandi, in tussim, in febrim continuam, & dolorem pungentem latus. Horum omnium effectuum causa est pleuritis. Sic apud Iureconsultos, incestæ nuptiæ & nefariæ efficiunt ne

habeātur pro vero matrimonio, nec vocentur ij, qui contraxerunt, mariti & vxores, itemq́; nec dos nec donatio propter nuptias debeatur, neq; liberi ex ijs geniti sint in potestatē parentum, cùm neque legitimi, neq; naturales, sed incestuosi sint, ideoq́; paterna hæreditate & alimonia secundum Ius ciuile indigni. hi enim effectus omnes fluunt ab incestis nuptijs. Hæc resolutionis species Iureconsultis est quidem valde vsitata, sed eius vis & ratio non probè & satis intellecta: est enim non minus artificiosa quàm prior illa, si quis recta & perpetua quadam disquisitionē effectuum à suis causis proficiscentiū, ordinē vti velit. Et hi sunt tres ordines, quatuorq́; instrumenta, quibus solent inueniri atq; doceri omnes artes & disciplinæ. Superest modò, vt quemadmodum de vsu & præstantia ordinum diximus, eadem rationē de instrumentorum dignitate, breuiter nonnulla disseramus, ipsaq́; inter se conferamus: deniq; illorū vsum, & quæ disciplinæ his omnib. aut aliquibus potißimū utantur, paucis explicemus. Quod igitur ad primum attinet, illud statuendū est, quod & Eustratius Aristotelis interpres secundo post. Analyt. innuerē sentireq́; videtur, inter hæc quatuor instrumenta primum locum sibi vendicare definitionem: quia definitio, vt antea dictum est, aperit substantiam & naturam alicuius rei, ex qua postea fluunt proprietates &

tes &

tes & paßiones. quare si substantia dignior est proprietate & accidente, dubio procul instrumentũ cognoscendi substantiã, instrumento inuestigandi accidentia nobilius et excellentius esse necesse est. Est autem instrumentum vestigandi accidentia, demonstratio: definitio igitur demonstratione præstantior. Deinde definitio est causa & quasi anima totius demonstrationis: quia, vt Aristoteles in Anal. docet, est medium per quod in demonstratione conclusio colligitur. Huc accedit, quòd cognitio per definitionem est certior & firmior, quàm per demonstrationem acquisita, & à nobiliori quoq; animæ facultatę apprehēditur: quia definitio cognoscitur citra discursum rationis, seu ratiocinationē: quinimò est firmum & perpetuum omnis ratiocinationis principiũ. Demonstratio tota in inquirendo & cogitando posita est: atque vt definitio à mentę, quæ animæ potißima pars est, ita demonstratio à cogitationę, quæ mentę inferior est, dependet. Itaq; principatum ratio concedit definitioni: hanc sequitur demonstratio, quippę quæ ex definitione oriatur: reliquæ duæ, diuisio nimirum & resolutio, quia prioribus seruiunt, ministræ & auxiliares statuendæ sunt. Etenim diuisionę non tantùm genera infima, sed & differentiæ, ex quibus definitiones fabricantur, inueniuntur. nam cùm genera cõmunia & indefinita sint, assumit illa diuisio,

atq; proprijs differentijs distinguit, idoneaq; ad formandam ex his definitionem efficit: ex his ita elaboratis, definitiua methodus cõuenienti ordinę et compositione adhibita, definitiones conficit. Eodem modo resolutiua methodus, ab indiuiduis ad specialißima ascendit, & ab his ad superiora genera, semperq; inferiorum cõmunia inquirit, & hæc inuenta definitiuæ suppeditat, quæ deinde ipsa definitiua accipiẽs conuenienterq; & concinnè coniungens, ex his quidem quæ singularibus sunt communia, specierũ definitiones fabricat: ex ijs verò quæ speciebus, generum definitiones constituit. atq; vt prior resolutionis species maximè ad inueniendã definitionem, ita posterior ad fabricandam demonstrationẽ conducit. Cùm enim demonstrationę proprietates & accidentia de rebus subiectis probentur, ad has autẽ inueniendas necessaria sit posterior, vt antea dictũ est, resolutio, quis nõ intelligat huius in demonstrationę maximũ vsum esse oportere? Porrò autem an diuisio in vestiganda definitione resolutioni præferenda sit, hoc loco explicare superuacaneũ existimo: est enim quæstio satis difficilis, & à maximis viris, Aristotele nimirum & Platone, in vtranq; partem probabiliter disputata: proinde de altero illo, hoc est, de vsu istorum instrumentorũ, quæ disciplinæ singulis his commodè vtantur, breuiter dicendum est: neque enim

omnes

omnes artes ac disciplinæ paßim quibuslibet vtuntur: quia aliæ diuisione et resolutionẽ, aliæ definitione & demõstratione magis gaudent. Sunt etiã nonnullæ quæ demonstrationem vel omnino, vel certè rarò admittũt. Nam disciplinarũ aliæ in cognitione, aliæ in actione positæ sunt. Quæ in cognitionẽ et contemplatione rerum versantur, habent præcepta seu theoremata necessaria & vniuersalia: vt mathematicæ, & tota physiologia. In his igitur principatũ obtinet ipsa demonstratio, quia demonstratio est syllogismus & ratiocinatio pariens scientiã: scientia autem est rerum necessariarum & vniuersalium, quæ aliter se habere non possunt. Demonstrationi adiungenda est definitio: quia definitio, vt nuper dicebam, principium & medium est in demonstrationẽ: omnesq; scientiæ antequã demonstrent, prius definiunt: quod in mathematicis præcipuè ostendi potest. Demõstratio igitur et definitio propria sunt instrumenta scientiarum. Quæ verò disciplinæ in actionẽ & operationẽ positæ sunt, ad artem & prudentiã pertinent: hæ non sunt rerum necessariarum, sed contingentium, quæ non eodẽ modo semper haberẽ se consueuerunt: ueluti sunt res & actiones particulares et indiuiduæ. Ad opera autem efficienda, & peragendas actiones, summopere vtilis ac necessaria est diuisio atque resolutio: vtraq; enim methodo in his opus

est: cùm enim quandoq; genera reperiãtur, quæ cùm multiplicia sint, & diuisionem non admittant, resolutione tamen in sua principia atq; elementa diduci possunt. ad hæc multa nõ bene resoluuntur, quæ commodius diuiduntur. Vnde Galenus nono de placitis Hippocratis & Platonis libro, & Plato in Phylebo, duo hæc instrumenta medicis affirmarũt esse necessaria: quia & medicina ars est, & versatur in actionẽ particulari, quemadmodum nostra Iurisprudentia. Cur autem ad opera artis & actiones prudentiæ maximè utilia & necessaria sint hæc duo instrumenta, duplex ratio afferri potest. Prima est, quia artes & disciplinæ, quæ sunt rerum particularium, omnes in electionẽ eorũ quæ meliora, et reiectionẽ seu repudiatione eorũ quæ deteriora sunt, cõsistunt. Electio aũt fieri non potest sine iudicio: iudicio discernimus rem à re, quod fit rationẽ & intelligentia. quare si eligere, si iudicare volumus, prius ea qua eligenda sunt et iudicanda cognoscamus necesse est. cognoscerẽ verò non possumus, nisi prius ea, quæ multiplicia sunt, diuidamus, vel in suas causas, principia & elementa resoluamus. habita enim resolutionẽ seu diuisione ista, prompti efficimur ad agendum seu efficiendum opera artis & prudentiæ. Atq; hæc diuisio ac resolutio nihil aliud est, quàm cõsultatio: & omnis, vt Aristoteles in libro de moribus ait, cõsultatio est inquisitio

ſitio & reſolutio, qua ars & prudentia nititur. Altera ratio eſt, quia actio artificis ſuſcipitur de re particulari & indiuidua, nõ quidem fortuitò & caſu, ſed cum ratione, quæ eſt rerum vniuerſalium. Nam artifex cùm inſitas habeat notitias & præcepta vniuerſalia, in actione poſtmodũ & opere illa applicat ad particularia, quæ applicatio raciocinatione perficitur. Porrò nulla methodus huic applicationi ſeu adiunctioni inſeruit, præter reſolutiuã et diuiſiuam. Diuiſiua enim ab vniuerſalibus progreditur vſq; ad particularia, & indiuidua: reſolutiua verò ab his aſcendit ad prima eorũ principia, cauſas atq; elementa. Atq; iſta quidem eſt ratio, cur veteres Iureconſulti, et Iuſtinianus noſter in tradenda Iuris arte potius diuiſione et reſolutione, quàm demonſtratione atq; definitione uſi ſint. quanquam nõ negauerim, & in artibus & Iure ciuili his inſtrumentis quandoq; locum eſſe poſſe, quemadmodum & reſolutioni & diuiſioni in ſcientijs: non enim ſingulis diſciplinis ſingula adiudicamus inſtrumẽta, ſed quæ magis his illis ue familiaria ſint, oſtendimus: nam & Iureconſulti & medici ſuas habẽt demonſtrationes & definitiones, ſi præcepta & vniuerſalia artis theoremata ſpectes, nõ tamen ita firmas & perpetuas, vt quandoq; ſubuerti non poßint: & cùm ad actiones ſe conferunt, tum reſolutione & diuiſione vt plurimũ utuntur.

Hinc est quod Vlpianus dixit, omnem definitionem in Iure ciuili periculosam esse: rarũ enim esse, vt subuerti non valeat: de quo postea fusius dicetur. Ex his igitur perspicuũ est, quid sit methodus, & quot eius sint partes, quot ordines atq; instrumẽta, quis eorum vsus & vtilitas, dignitas & præstantia, deniq; quæ vnicuiq; scientiæ & arti potissimum familiaria & vtilia: quibus omnibus explicatis facilè perspici poterit, id quod initio quærebatur, vtrum videlicet Ius nostrũ ciuile ordine & methodo conscribi doceriq;, an verò nullis artis finibus circunscribi, sed fortuitò disci tantũ possit ac debeat. Hoc igitur nunc demonstrandum, & aperiendum nobis est. Atq; vt ordine ista progrediatur disceptatio, initiò quæ nostra hac de re, & veterum fuerit sententia breuiter explanata, quæ ab alijs deinde cõtra hæc afferri solent, pro virili confutabimus. Existimo igitur, vt & multi alij viri docti, Ius ciuile nostrum non minus quàm cæteras artes disciplinásue ordine doceri, et ad scientiæ seu artis normam redigi posse. Cui sententiæ in primis adstipulari videtur M. T. Cicero, qui libro primo de Oratore sic scribit: Omnia ferè, quæ sunt conclusa nunc artibus, dissipata & dispersa quondam fuerunt, vt in Musicis numeri & voces et modi: in Geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in Astrologia, cœli conuersio, ortus, obitus, motusq; syderum:

rum: in Grammaticis, Poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidā sonus. In hac deniq; ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quondam omnibus & diffusa latè videbantur. Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum Philosophi assumunt, quæ rem dissolutam diuulsamq; conglutinaret, & ratione quadam constringeret. Sit ergo in Iure ciuili hîc, legitimæ atq; vsitatæ in rebus causisq; ciuium æqualitatis conseruatio. Tum sunt notanda genera, & ad certum numerum paucitateq; reuocanda. Genus autem id est, quod sui similes cōmunione quadam, specie autē differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autē sunt, quæ generibus ijs ex quibus emanant, subijciuntur: omniaq; quæ sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio earum rerū, quæ sunt eius rei propriæ, quā definire volumus, breuis & circūscripta quædam explicatio. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi apud quos hæc haberetur oratio, cernere. nunc complectar, quod proposui, breui. Si enim aut mihi facere licuerit quod iandiu cogito, aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, vt primùm omne Ius ciuile in genera digerat, quæ per-

pauca sunt, deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat, tum propriam cuiusq; vim definitione declaret, perfectam artem Iuris ciuilis habebitis magis magnam atq; uberem, quàm difficilem et obscuram. Atq; ex his Ciceronis verbis perspicuè apparet, Iuris ciuilis præcepta, quæ lõgo negociorũ vsu, & rerum publicarum administrationibus obseruata sunt, & ab hominibus peritis animaduersa ac notata, non tantùm verbis posse designari, generib. illustrari, partibus suis distribui, et vt semel dicam, artificio quodam conscribi, sed etiam id à se sæpe fuisse cogitatum atq; tentatum, cùm nihil in natura rerum, siquidem cognitionem & intellectum hominis non subterfugiat, reperiatur, quod ad artem redigi nequeat, si ille prius qui illa tenet, quorũ artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Nam & Iurisprudentia superiores et inferiores paresq; dignitate disciplinæ, cùm antea dispersæ, ac partib. suis diuulsæ & dissipatæ essent, nec à quoquam perfectè cognitæ, ad extremũ tamen conglutinatæ, compactæ, & methodo quadam colligatæ atq; conscriptæ fuerunt. Artem medicã ab Aesculapio, qui in numerũ deorum relatus est, vtcunq; adinuentã, Hippoc. medicorum princeps inchoatam, & voce traditam tantùm, expoliuit atq; perfecit, perfectamq; scriptis primus

mus cõmendauit, & iudicio acri et diuino præditus in artem redegit, omniaq́ theoremata & cõmunia præcepta spectantia ad vnum finem, ratione conclusit. Mundi principia, ortus, obitus, motusq́ syderũ, artesq́ magicas hominũ generi incognitas & incertas, à Zoroastre Bactrianorũ rege primùm adinuentas, et à Ptolomæo alijsq́ vetustioribus autoribus ordine conscriptas testantur historiæ. Naturalium rerum cognitio à Pythagora & Anaximandro, et horum præceptoribus, Pherecyde nimirum & Thalete, fluxit. Eam postea scriptis commendarunt & docuerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates, tum in primis Plato, qui instituit Academiam, Pseusippus, Xenocrates, Polemus, Crantes, & Crates, Archesilaus qui mediã inuexit, Lacydes qui nouam, Diogenes, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Xenophanes, Parmenides, Democritus, Leucippus, & pleriq́ alij, qui monumenta sui ingenij reliquere, præceptaq́ Philosophiæ posteris tradidere. Hos omnes ingenij acrimonia, cognitione rerum, scribendi & cõmentandi industria atq́ methodo, vnus superauit Aristoteles, qui múlta & pleraque non tantùm in naturali, sed & morali philosophia, ab alijs, à seq́ adinuẽta, ornatius, copiosius, maiori & exactiori ordine tradidit. Idem totam disserendi artem, bene & ornatè loquendi & persuaden

di rationem, antea voce & rudi quadam via à veteribus traditam, primus ad scientiæ & methodi modum redegit, suisq́ finibus conclusit. Hunc secutus est Theophrastus discipulus ipsius, qui neque facundia, neq; doctrina, neq; rerum multarum experientia præceptore inferior extitit, et pleraq; quæ ab alijs, vt Aristotele, aut omissa, aut negligẽter tractata fuerunt, adiecit. Vnde non mirum cuiquam videri debet, si quemadmodũ aliarum disciplinarũ & scientiarum, quæ Iurisprudentia longè inferiores ignobilioresq́ vel præstantiores habentur, ita & huius artis in perpetuam quandam seriem & consonantiam reuocari posse præcepta, Cicero existimauit. Quæ est enim ars & disciplina tam vilis tamq́ sordida, quæ si vel contemplari & cognoscere res, vel agere quippiam velit, non certa aliqua ratione, via & methodo id faciat? Testes huius rei esse possunt bubulci, coqui, fabri lignarij, ædificatores, & reliqui artifices ignobiles ac sedentarij, qui & præcepta suæ artis certa ac definita, tum ad materiæ in qua versantur, tum ad instrumenta quibus utuntur, tum ad modũ agendi spectantia, animo ordine comprehensa habent, et cùm ad actionem ventum est, ex habitu quodã perpetuo suisq́ præceptionibus firmato, promptè quicquid propositũ est, parateq́ agunt efficiuntq́: Nam & ædificatores antequã domum extruãt, prius eius

naturam

naturam resolutionẽ, vt suprà dictum est, contemplantur: ex qua contemplatione, quæ ad eius constitutionem necessaria, quæ materia ad ædificationem idonea, quæ deniq; instrumenta ad actionem vtilia sint futura perpendunt. Idem exemplum imitantur bubulci & pastores, qui tantam adhibent diligentiam in pascendis pecoribus, tantùm habent pastionis, ouium, terræ, regionis, temporis & cæterarũ rerum rationem atq; curam, vt omnia nõ nisi ex præscripto rationis, certo quodam ordinẽ cuncta experiri & tentare velint aut cupiant. Ac ne coqui quidẽ & laniones fercula et carnes temerè ac sine iudicio dilacerant aut cõdiunt, sed cõmoda diuisionẽ facta, membratim magno ordine dissecant, et adhibita certa ac debita condimentorũ mensura, fercula ita præparant, vt esui apta sint, & homines ijs vescantur. Et ut semel dicam, nulla est ars tam abiecta, humilis, & tam sordida, quæ non finem aliquem propositũ, ad quem præcepta ordine dirigãtur, habeat: quæ non via & methodo & cognoscere et agere doceat: quæ non dictorum factorumq; suorum reddere causas rationemq; possit atq; valeat. Nullam igitur dicerẽ maximarum rerum esse artem, dum minimarũ sine arte nulla esse possit, hominũ est parum (vt Cicero ait) considerate loquentiũ, atq; in maximis rebus errantium. Venio nunc ad disciplinas illas, quæ maiorẽ

cum nostra Iurisprudentia familiaritatem atq; similitudinem, ex quibus ipsa suam originem traxit, habent, Ethicen nimirum, quæ de moribus est: et Oeconomicen, quæ familiæ præest: et Politicen, quæ gubernandæ ciuitatis & reipub. rationem docet. Hæ scientiæ omnes, qua methodo tum à Platone, tum ab Aristotele, alijsq; philosophis conscriptæ, posterisq; traditæ sint, nullus est qui nesciat. Nam quod ad mores attinet, finis vltimus hominis ab ijs adinuentus est, & media omnia, quibus ad ipsum facilè ac tutò peruenitur, grauiter fuerunt explicata: virtutum ac vitiorum partes seu species, obiecta, causæ, principia et elementa, doctè & luculenter inuestigata: deniq; præceptis decenti ordine cohærentib. omnia quoad eius fieri poterat demonstrata. Eadem quoq; in posterioribus disciplinis exactissimè fuit docendi obseruata ratio, cùm & priora domus ac reipub. initia, partes, partiumq; omnium affectiones, officia, vires, genera, & quæ his sunt affinia, sunt tradita, suisq; præceptionibus comprehensa. Quare si istarum omnium disciplinarum, quarum Iuris ciuilis cognitio potissima pars, & certa earum propago est, olim ab eruditissimis viris certa potuit inueniri docendi ratio, earumq; theoremata & præcepta antea confusa ac dispersa, definitis quibusdam finibus circunscribi, quis obsecro hæc priuilegia nostræ Iurisprudentiæ, quæ et

supe-

ſuperiorum artium dominá, & aliarum diſciplinarum regina eſt, iurè adimere, tantaq́ felicitate homines priuare poterit? Accedit verò, quo ſicut & cæteræ multoq́ facilius artificioſe doceri Ius ciuile poßit, (quod minimè pleriq́ arbitrantur) mira quædam in cognoſcendo facilitas atque delectatio: omnia enim ita ſunt poſita ante oculos, collocata in vſum quotidianum, in congreßione hominū atq́ in foro, vt Scæuola apud Ciceronē dicerē ſolitus ſit, nullius ſibi artis faciliorem cognitionem videri. Sed omißis his leuioribus, accedamus ad maiora, magisq́ neceſſaria, & ex natura rei petita argumenta. Dictum à nobis in ſuperioribus eſt, conſtituendarū artium rationem, à duobus potißimum ſcopis ſumi deberē, propoſito nimirum fine, & materia ſubiecta, ſeu obiecto, in quo (vt philoſophi loquuntur) quælibet diſciplina verſatur: nam ex reſolutionē tum finis, tum materiæ, omnis artis inueniuntur partes atq́ capita: quia vt finis generalis diſtinguit totam artem aut ſcientiam, ab alia artē vel ſcientia, ita fines particulares, in quos generalis diſſoluitur, diſtinguunt partē à parte ſcientiæ: & quot ſunt fines proprij, totidē ſunt partes artis. Eadem de generē ſubiecto ſtatuenda ſunt: ex ſingulis enim ſubiecti partibus, ſingulæ ſcientiæ partes oriuntur. Quapropter ſi Iuriſprudentia proprium genus ſubiectum habet, propriumq́ finem, ut

antea demonstratum nobis est, eaq; in sua principia, causas atq; elementa possunt resolui, quis dubitat Iuris ciuilis artem resolutione constitui posse? Genus subiectum diximus esse actiones seu negocia ciuilia, harum partes Imperator Iustinianus dixit esse, res, personas, & actiones, quòd scilicet ex his tribus fontibus oriantur. Personã resoluit in sua elementa, eius videlicet statum seu conditionem, & defensionem: conditionem seu statum in libertatem & seruitutem: defensionem in curam & tutelam. ex qua dissolutione, quot sunt membra, tot reperiuntur partes artis, quæ ordine postmodum explicantur. Eademq; ratione & res resoluuntur, in earum nimirũ acquisitionem, retentionem, & alienationẽ, & quibus has cõparamus, vel personas defendimus, actiones. Ad quæ tria capita seu tres fontes, quicquid in Iure ciuili scriptum est, redigi potest. Quòd si horũ vnumquodque rursus in alia atque alia membra dissecare libeat, vniuersæ tandem artis capita, partesq; quis adinueniet rerum. Hæc res peculiarem tractatum postulat, quippe cùm non Iurisprudentiã hoc loco cõstituere, sed an constitui arteq; doceri posit nec ne, ostendere mihi propositũ sit. Quòd si Iurisprudentia potest resolutione constitui atq; inueniri, sequitur vt compositione quoq; posit doceri, cùm cõpositiuus ordo idem sit subiecto & natura cum resolutiuo, differatq; habitudine

bitudine ac ratione tantũ, quemadmodũ descensus & ascensus in scala. Denique si omnia quæ latè fuséque explicatáque sunt, rursus cõtrahi & in compendium aliquod redigi possunt, fit ut eadem definitiua methodo conscribi queat atque explicari. Quæ enim res vno ordinẽ traduntur, eædem alios quoque admittant necesse est. Definitiua methodo vtcunque Imperator Iustinianus vsus est in Institutionibus, in docenda Iuris artẽ. Resolutiua, vt arbitror, in inuenienda. Compositiuæ nullum in Iure ciuili extat exemplum. Eius qualis sit ratio, antea expositum est. Eadem sententia ex natura & proprietatẽ methodi ostendi potest: nam methodus seu ordo, est breuis quædã vniuersalium in artẽ aut scientia aliqua præceptionum dispositio atque collocatio, quæ non tantũ inter se conuenienter aptéque hærent, sed ad vnũ etiã finẽ vltimũ & extremũ destinantur. Porrò nihil est in Iure ciuili, nihil in reliquis artibus, quod non ad præcepta vniuersalia redigi, et ratione aliqua cõstringi posit. Aduersariorum argumentis, qui contrà sentiunt, postea respondebimus. Iam uerò cùm propriũ scientiæ et artis sit causas rerum ostenderẽ, & cur vnumquodque & qualẽ sit, aperirẽ (principium enim artis, causæ inuentio est) quis est qui nostræ Iurisprudentiæ artis & disciplinæ nomen denegarẽ ausit? Certè vt reliquæ omnes, ita & hæc suas rationes tum ab

ipsa natura, tum à ratione ciuili petitas habet. Huius rei signum esse potest, quòd pleriq; Iureconsulti propter exercitationē, nonnulli propter peritiam quandam, callidius atque melius quàm cæteri de Iure respondent & docent. Vnde dubiū non est, quin si quis animaduertat, quid sit quare alij melius quàm alij id faciant, idq; possit notare, atq; in toto postmodū genere præstare, is si non planè artem, artis tamen exemplar aut simulachrū inuenerit. quandoquidem causam cur hic bene, alter malè doceat, ostendere poterit demonstratio, quæ artis principiū est. Verumenim uerò statim hoc loco obijciat aliquis Iuliani & Neratij dicta, qui non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse, neq; rationes eorum quæ constituuntur, inquiri oporterę aiunt: futurum enim, vt multa ex ijs quæ certa sunt, subuertantur. Hanc sententiam multi sæpe in ore habent, & cùm de re interrogati, cuius rationem reddere nequeunt, hoc tanquā firmißimum suæ ignorantiæ præsidium obtendunt. Verùm isti qui hæc inculcant, non intelligunt, aliarum quoq; artium præceptiones, causis & rationibus suis confirmari quandoq; non posse: hac enim ratione nullus esset demōstrandi finis, daretur semper causa causæ, ratio rationis, & sic progreßio in infinitum: qua rationę scientiæ essent incertæ & infinitæ, quod à rationę est alienū. Itaq; vt certi sint

termini

termini et fines scientiarũ, principia statuenda sunt, quæ vel sensui, uel experientiæ, vel primæ intelligentiæ sint euidentia, nullaq́ demonstrationẽ opus habeant: qualia sunt, definitiones, axiomata, postulata, & huius generis reliqua, ex quibus conclusiones postea & præcepta demonstrantur. Quare multa sunt in Iure, quorum causas reddere & turpe, & non necesse est: neq; enim cur vis vi repellenda, cur honestè viuendũ, cur nemo lædendus sit, anxiè inquirere oportet, sed hæc tanquã prima principia, contra quæ nulla disputatio admittenda est, nota & manifesta atq; indubitata ponenda sunt. Multa etiam à maioribus recto consilio, certisq́; de causis statuta sunt, quæ nos latent. In his igitur si non exactè voluntatẽ & rationem immediatam, vt uocant, inuenirẽ, cur vnumquodq; positum sit, valemus, probabilitatẽ et coniecturis, ad hæc consuetudinẽ & autoritate rerum iudicatarum contenti esse debemus. Idq́; semel tenendum nobis est, in scientijs & artibus, causas rerum atq; præceptionũ magis esse necessarias & perpetuas: in ciuili, ijsq́; disciplinis quæ de moribus, de rẽ familiari, de repub. agunt, magis probabiles, & quotidianas, ab vsu, ratione ciuili, circunstantijs & casibus aduentitijs, qui perpetuò mutari solent, petitas: nõ tamen aut omnino falsas, aut ita obscuras quæ cognosci minimè possent, quod multi perperàm opina-

ti sunt. Et proinde non sum nescius, certiori ordine scientias & reliquas artes, quàm Iurisprudentiã, aut Politicen, aut Ethicen, tractari posse. cui sententiæ adstipulatur Aristoteles primo Ethic. qui satisfactũ sibi esse tum putauit, si typo quodam, & rudi (vt aiunt) Minerua, singula ea quæ ad mores vitamq; componendam spectant, tradantur. Ex his igitur satis apparet, Iuris ciuilis partes atque præcepta ordine quodam inueniri, apteq; vt & cæterarum artium theoremata, doceri posse. Quòd si enim docere & cognoscere sine ratione, & ratio sine ordine non est, certè neq; Ius ciuile (siquidem doceri et cognosci potest) sine via & ratione comprehendi unquam poterit. Argumẽto nobis esse possunt illi omnes, qui nostro hoc tempore tot discendi Iuris rationes, tot methodos, tot compendia iuuentuti præscripserunt, qui omnes pro suo instituto varioq; animi conceptu, varias docendi uias tradiderunt. quòd si nullam eius rei spem fructumq; fore intellexissent, certè neq; frustra in re tam ardua operã & studiũ collocandum sibi putassent: neq; si id fieri non potuisset, artis aut scientiæ finem excogitassent. Cur autem id quod uoluerunt, assecuti non sint, id in causa est, quòd quæ ordinis & methodi ratio esset, non satis rectè perspectum cognitumq; habuerunt. Eorum exemplo, quia rem admodum difficilem vident, multi à cõstituenda arte abhorrent,

horrent, atque deterrentur. Sed hoc insignis ignauiæ et abiecti animi indicium est: cùm enim omnia (vt in prouerbio est) pulchra, sint quoque difficilia, vtilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere & inflammare. Atque ut semel dicam id quod res est, qui quærunt an Ius ciuile methodo cōscribi docerí ue poßit, illi, an cognósci omnino poßit, dubitant: neque enim res sine via cognoscimus aut iudicamus. Iam verò vt ad instrumenta & modū docendi veniā, quæ suis ordinibus continentur, quarū rerū tanta est in Iure ciuili copia, tantus eorū vsus & neceßitas, vt superuacaneū sit multa de his verba facere: nam et definitionibus omnia à Iurecōsultis, Imperatoreque Iustiniano circūscribuntur: & diuisione ac resolutione partes et species rerū semper artificiose inuestigātur: tum verò singula scientificè, aut saltē ciuiliter & probabiliter demōstrantur: denique progreßus & via docēdi à notioribus ad ignotiora nunquā negligitur: quæ res manifestior est, quàm vt longiori probatione à me illustretur: superest modò vt eorū argumenta remoueā, qui Ius ciuile neque arte neque methodo doceri posse, neque etiā instrumentis docendi locū in eo esse cōtendunt. Quorū alij quidē opinantur hac potißimū ratione id fieri, quòd methodus sit habitus præceptorū vniuersalium, Iurisprudētia habitus rerū particulariū: quia Iurispru-

dentia versatur in actione, quemadmodum prudentia: actio est rerum singularium & casuum, vt vocant: singularia sunt infinita: infinitorum nulla est comprehensio, nulla ratio, nullaq; disciplina vel methodus. Qui ita argumentantur, non distinguunt actionem artificis ab arte, quæ tamen longè lateq; inter se differunt. Nam actio artificis, vtputa medici, aut Iureconsulti, aut ædificatoris, non est ars & habitus, sed fluit ex habitu & arte, & est rerum singularium: quia medicus medetur ex habitu, Socrati & Platoni, nõ homini: & Iureconsulti ex habitu Iurisprudentiæ de negocijs ciuilibus particularib. respondent, quidq; iustum vel iniustum sit, ostendunt. Habitus autem & ars ipsa est comprehensio præceptionum vniuersalium, quæ artifex rebus indiuiduis accommodat & applicat. Itaq; ars medica in vniuersum, quæ ratio curandi morbi sit, demonstrat: & legislator de omnibus ijs quæ accidere possunt, generatim constituit. Quòd si quandoq; (fit autẽ id sæpissimè) particularia facta & casus suis præceptionibus admiscent, id non alia de causa facere eos existimandum est, quàm quòd exemplis rem propositam illustrare conentur, vt ad similia trãsferri debere ostendant. Hanc docendi rationem etiam exactissimæ disciplinæ imitantur, quales sunt mathematicæ: hæ enim (vt Aristot. primo post. Analyt. inquit) non

de hoc

de hoc vel illo triangulo, quod in abaco depictũ est, demonstrationes afferunt, sed de omni triangulo. quod cùm artifex mente concipiat, ac proinde auditoribus ostendere nequeat, vtitur exteriori quadam descriptione, vt hac ratione mentis conceptum, de quo demonstratio nectitur, explicet. Itaq; cùm lex statuit, vt posthumus natus patris testamentũ rumpat, non de hoc vel illo, sed de omni posthumo loquitur. Quæ autẽ ratio sit quòd Iurisprudentia & simpliciter nullus habitus artificiosus rerum singulariũ curam habeat, illud dici potest, quòd indiuidua sint numero infinita: infinitum neq; ratione comprehendi, neque cognosci potest. Vnde Plato præcipiebat ijs qui à generibus generalissimis ad species specialissimas diuidendo descendere vellent, vt ab vlteriori inuestigatione, cùm ad indiuidua peruentum esset, conquiescerent: fieri enim non posse vt hæc propter infinitatem ab artifice cõprehenderentur. Quapropter scientiæ & artes omnes, genera & species rerũ contemplantur, indiuidua atque singularia vsui & experientiæ relinquunt. Nam species et genera sunt finita & certa, ijsq; cognitis, indiuidua facillimè cognoscuntur. Finitatem autem eorũ, vt sic dixerim, ostendunt decem prædicamenta, quibus res omnes, quæ in natura reperiuntur, cõclusæ sunt. ad hæc quoque ratio ipsa: quandoquidem si species vel genera

essent infinita; profectò esset infinito aliquid maius: quia cùm quælibet species multa cõtineat indiuidua, vt hominis species multos homines, bouis boues, posthumi posthumos, & hæc sint infinita, multoq; plura speciebus, & species generibus, quis non videt infinitum infinito fore maius, quod est valde absonũ, & rationi minimè consentaneum? Species igitur & genera sunt finita, & quia finita, ideo cognosci possunt: cognoscuntur autẽ, vt Aristoteles primo Physicorum ait, per sua principia, causas & elementa, ex quibus componuntur. At enim cognoscerę compositionem rerum, nihil aliud est, quàm intelligere ordinem earum, quo vnaquæq; est composita. Igitur qui cognoscit rem, ordinę coguoscat necesse est. Sed Iurisprudentiam eiusq; præcepta cognosci posse, nemo est qui diffiteatur: ordinę igitur cognoscatur necesse est. Huc accedit, quòd si Iurisprudentia contemplaretur tantùm casus indiuiduos, transitus & applicatio ad similia tolleretur: quia indiuiduum id essè dicitur, cuius proprietates simul collectæ, alteri neq; conueniunt, neq; adaptari possunt. Hoc autem aduersatur Iureconsultorum sententijs, qui ad similia procedendum esse, similesq; casus similib. legibus decidendos præcipiunt. Quòd si dicta & facta negociaq; ciuilia sunt finito & certo numero cõprehensa, utiq; & leges erunt finitæ quæ de his sanciuntur. Quare

Neratius

Neratius noster respondit, & in ipsis etiam Pandectis occurrit, Ius esse finitum, esseq; non modo debere, sed etiã posse. Nec vero refert quòd longi sint eius libri, quòd tam multi atq; prolixi multorũ Iureconsultorum commentarij, tam vastum scriptorum pelagus, tamq; perplexa sententiarũ obscuritas & confusio: sunt enim hæc alijs quoq; scientijs cum Iure ciuili cõmunia. Quid? an Grammaticorum libris non omnes penè bibliothecæ sunt refertæ? an nõ Dialecticorũ scriptis? an nõ Medicorũ pharmacis, cæterarũq; artium omnium commentarijs, eorumq; copia atq; multitudine, omnes omnium domus, vici, pagi, ciuitates deniq; omnes, sunt instructæ & infarctæ? sunt sanè, neq; eo tamen minus, vel propter obscuritatẽ, aut multitudinem, aut confusionem commentariorum & scriptorũ, harum disciplinarum omniũ, docendi ac discendi, certa quædam ratio adinuenta atque tradita est: ars enim suapte natura breuis, & homini ingenio & diligentia prædito facilis est, etsi longi eius & confusi sint libri: nec disciplina hominum aut librorum magnitudine vel prolixitate, sed præceptorum suorum numero æstimandæ sunt. Fateor equidem ingenuè quod verum est, multũ esse in his studijs, et fortasse plus quàm in alijs, difficultatis, tum propter vsum & experientiam rerum, qua multi et maximè iuuenes destituuntur, tum propter infinita

tem illam quæstionum & repetitionũ, inutilium ac leuissimarum, quarum copia, perplexitatę & confusione studiosorum ingenia non modò non erudiuntur et docentur, sed multò magis implicãtur & confunduntur, atque irretitis animis, sæpissimè ab honestissimo proposito deterrentur. Sed hæc non artis aut disciplinæ vitia sunt, sed hominũ culpa et fraude, indoctorum inscitia, improborum malitia accidunt.

Alij propterea Ius ciuile artificiose tractari negant, quòd ius ipsum nõ natura, sed sola opinionę esse videatur: quòd non idem sit apud omnes, sed alius alio populus, & ferè quisq; suo, vtatur. Quod autem constans et æternum atq; vnum non est, sed variabile, diuersum, sibiq; etiam sæpenumero contrariũ, id perpetuo ordinę doceri & circunscribi minimè posse. Exemplis & rationibus suam sententiã comprobant. Nam apud Persas & Macedones olim fuit aduersus ingratos constituta actio, cùm hoc malum apud alios sit impunitum. Lacedæmonijs eduliorum furta permittebantur, quæ alibi semper fuere prohibita. Ad hæc in seditionę populari, qui neutrarũ erat partium, tenebatur lege Solonis, cùm is cæterarũ ciuitatum instituto, probi quietiq; ciuis laudem mereatur. Ex rapto olim vixere Cilices: Massagetæ communes habuerunt vxores: & filiarum suarum matrimonio, Persæ quondam usi sunt. Atq; ne id miremur

mur valde, in tanta populorum infinitatę, tantam esse diuersitatem iuris, aiunt, in eadem sæpe ciuitatę ac perbreui tẽpore leges ipsas corrigi ac mutari: quod hodie iustum sit & honestum, cras inhonestũ & iniustum fieri. Hinc tam multas atq; frequentes earũ oriri abrogationes, derogationes, tot earũ inter se repugnantias ac dissensiones: & vt semel dicam, hæc omnia suapte natura eadem esse, neq; iusta vel iniusta, honesta vel inhonesta per se esse, sed opinionę hominum cùm legibus sanciuntur, talia fieri & vocari. Hæc opinio plurimos habuit assertores, etiã apud priscos philosophos, qui non tantùm iusti & iniusti, honesti & inhonesti, sed cæterarum quoq; rerum naturas è medio tollerę nitebantur, omniaq; talia esse, qualia cuiq; viderentur & apparerent, pronunciabant. Defensa est hæc sententia primũ à Protagora, deinde ac multò magis ab Aristone et Pyrrhonę: ad hæc à Thrasymacho apud Platonẽ, qui putabat ius nihil aliud esse, quàm quod potẽtiori est vtile. Proinde quodcũq; is qui plus posset, lege sua iuberet aut vetaret, ius esse, et quidem solum ius, neq; vllam esse in eo naturæ veritatem. Quorum philosophorũ rationes Plato multis in locis grauiter & copiose est insectatus. Iam uerò quod à natura proficiscitur, æternũ esse, & verum, & vnum, & idem, & vbiq; idem, nunquam sibi repugnans, nunquã contrarium, nul-

lo temporis cursu variabile et mutabile. Nam & ignem vrere apud Indos, et apud alios omnes populos, iisq; sicut & cæteris niuem esse albam, gratum omnibus rerum bene olentium odorem, cunctis mortalibus eadem dulcia & amara videri simpliciterq; & sensus & eorum obiecta semper apud omnes eadem esse, eandemq; retinere naturam, & nominibus tantum differre, atq; idcirco et cognosci, & ratione quadam doceri posse. Verũ hæc res longè aliter se habet: nam & ius aliquod à natura petitur, nec omne legibus aut populorũ scitis comprehenditur. Quinimò, vt Cicero ait, tota iuris ratio ab hominis repetẽda natura est, et ex intima philosophia haurienda: cui tum demum fontem legũ & iuris inueniri, atq; honesta patefieri placet, si quid sit homini à natura tributũ, quantam vim rerum optimarũ mens humana contineat, cuius muneris efficiendi colendiq; causa nati, et in lucem æditi simus, quæ sit coniunctio hominũ, quæ naturalis societas inter ipsos, doceatur. Atq; vt res hæc perspicua fiat, initiò ius ipsum natura esse, deinde quæ causa diuersitatis ac mutabilitatis legũ sit, perspicuè ostendemus. Esse igitur natura, nõ opinione, constitutũ ius, planeq; nos omnes ad iustitiam natos, ex hominũ inter ipsos societate coniunctioneq; perspici potest. Nam vt cætera omnia animalia, natura duce congregantur, & cõmercium amant, ita & ho-

& homo per se appetit societatem huius vitæ, nec doctrina aut consuetudine edoctus, aut necessitate aliqua coactus, sed instinctu proprio, quem natura indidit, ad cōmunicationem officiorum, voluptatū, dolorum, rerumq́ omnium trahitur: atq; eò quidem magis, quòd cùm cætera animantia aliorum consuetudine priuata, quandoq; per se & viuere, & diutius permanere queant: homo sine societate neq; educari, neq; educatus iam, longo aliquo tempore vitam solus traducere potest. Huius rei indiciū maximum est, quòd solus ex tot animantium generibus atq; naturis, homo, præclara quadam conditione generatus à supremo Deo, particepsq́ rationis & cogitationis, composq́ orationis, quæ mentis interpres dicitur, factus est, cùm cætera sint omnia expertia, quæ quidem conciliant inter se homines, cōiunguntq́ eos naturali quadam societate. Cui autem ratio à natura data est, eidem & recta ratio data est, ergo & lex, quæ est recta ratio in iubendo & vetando. si lex, ius quoq;. at omnibus ratio, lex igitur & ius datum est omnibus. neq; enim dici potest, homines lege & iure quidē indigere, sed ius natura non esse: nam sine quo aliquid, quod in nobis natura est, esse non potest, id etiam natura in nobis sit, oportet. verbi gratia: visio natura animali tributa est, quæ cùm sine oculis fieri nequeat, certè & oculi natura erunt, sicut & aures

& cætera sensoria: neq; enim sine his aut videre, aut audire, aut sentire quippiam possumus. Quare si homines à natura facti & in lucem æditi sunt ad colendam societatem, societas autem sine lege & iustitia consistere nequeat, vtiq; & legem & iustitiam natura existere necesse est: quòd si legem & iustitiam, ergo & ius. Ex quo sequitur, ad participandū alium alio, cōmmunicandumq; inter omnes, iustos natura factos esse homines. Quòd autem societas iure & iustitia conseruetur, sineq; illa consistere nequeat, argumento esse possunt homines etiam iniustissimi atque iniquissimi, quales sunt prædones, quorum familiaritas & societas tantisper salua & incolumis est, donec iuri et iustitiæ apud eos locus est. Etenim quia alter alterum in partiendis spolijs non fraudat, quia non mentitur vllus, quia obseruant & obtemperāt illi qui alijs præstantior videtur, quia conuentiones atq; pacta seruant, quia imbecillioribus. opem ferunt, propterea illorum societas permanet neque dissoluitur. Quorum omniū contrarijs, aduersus eos quos iniuria afficiunt, vtuntur. Hæc igitur naturalia esse iura, perspicuè ex eo demonstrari potest, quòd ne, si paciscantur quidem contraria his inter se tanquā iusta, cōsistere diutius illorum societas potest, cùm tamen rationi consentaneum esse deberet, vt vnumquodque eodem modo societatem custodiret, quod pacto

& le-

& lege seu constitutione factum esset. Quòd si hæc quidem quæ vel lege vel absq; lege constituta sunt, societatem & amicitiã custodiunt: opposita autem his, etiamsi lege & pacto sancita sint, labefactent et euertant: certè ea quæ conseruant, naturalia erunt, quanquã ex conuentione fiant. Ipsa enim conuentio atq; constitutio, videtur esse quædam naturalis iuris inuestigatio, & consensus et approbatio rerum iam antea inuentarum. Præterea ius natura, & non opinione, constitutum esse, ex contrario ostendi potest, iuris nimirum naturalis transgressione: quæ si est, certè et multò prius ius sit necesse est. Esse autẽ quædam iniusta suapte natura, inde patet, quòd apud omnes, qui contrarijs etiam legibus vtuntur, cõmunia quædam reperiuntur, quibus, qui iniusti esse volunt, afficiant eos, qui iniuriã inferre conantur: omnia enim & prædones & sicarij & ferè eadẽ apud omnes flagitia atq; scelera cõmittunt. Quòd si ita se res habet, profectò illa, quæ rebus iniustis natura cõtraria sunt, iura naturalia erũt: nam nihil aliud est iniuria, quàm transgressio iuris. Quare si natura est trãsgressio quædam iuris, certè ius erit multò prius, cuius transgressio iniusta est natura: posterior enim est transgressio alicuius, quàm illud cuius est transgressio. Iam verò quemadmodum ab alijs virtutibus, quæ omnes cum hac nostra iustitia, quarũ ipsa princeps est, cognatio-

nem magnãq; affinitatẽ habent, secundã naturã gerũtur atq; fiunt omnia: natura enim fortitudinẽ, qui fortitudine præditus est, et cõtinens continentiã exercet: ita quoq; iura & iusta erunt natura, quæ aguntur à iustitia. Huc accedit, quòd nullæ sunt gẽtes tam barbaræ, tam efferatæ, quæ nõ habeant instituta sua aliqua quibus regantur, cum cæteris communia, quibus pœnæ quidẽ improbis, bonis autẽ præmia & honores proponantur. Nam iustitiæ, pietatis erga Deũ, parentes, patriam, & magistratũ, opinio, per omnes populos peragrat, & in vniuscuiusq; animo tam est impressa atque insculpta, vt nemo, ne si solus quidem ferarum more, vel apud agrestißimos homines vixerit, vim iuris queat ignorare. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficij memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit? Hæc enim omnia ne legibus quidem sancita, ab omnibus hominibus religiose obseruãtur atque coluntur, retinenturq;: non quia opinione, sed ipsa natura sint constituta. Itaq; impij & scelerati, vt Cicero scribit, pœnas luunt non tam iudicijs, quæ quondam nusquã erant, hodie multifariã nulla sunt: vt sint tamen, persæpe falsa sunt: sed eos agitant insectanturq; Furiæ, non ardentib. tædis, sicut in fabulis, sed angore cõscientiæ, fraudisq; cruciatu. Quòd si homines

mines ab iniuria, pœna, non natura arcerę deberet, quænā solicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorū tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnuerit à se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquā fingeret, defensionemq́ facinoris à natura iure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impij, quo tandem studio colentur à bonis? Quòd si pœna, si metus supplicij, non ipsa turpitudo, deterret ab iniuriosa facinorosaq́ vita, nemo est iniustus, & incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipsi honesto moueantur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atq; fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem uel iudicem? quid in deserto loco, nactus quē multo auro spoliarę possit, imbecillum, atq; solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus, etiam colloquetur, iuuabit, in viam deducet. Is verò qui nihil alterius causa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis credo quæ sit acturus. quòd si negabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam eam ob causam negabit quòd id natura turpe iudicet, sed quòd metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam in qua non modò docti, verumetiam agrestes erubescant. Iam verò stultissimum illud, existimarę omnia iusta esse, quæ sita sunt in populorum institutis,

aut legibus. Etiámne si quæ sint tyrannorum leges? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iustæ haberentur? nihilo credo magis illa quam interrex noster tulit, vt dictator quem vellet ciuiũ indicta causa impunè posset occidere. Est enim ius, quo deuincta est hominũ societas, & quod lex cõstituit vna, quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi, quam qui ignorat, is est iniustus, siue illa est scripta uspiam, siue nusquã. Quòd si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisq; populorum, & si, vt ijdem dicunt, vtilitate omnia metienda sunt, negliget leges, easq; perrumpet, si poterit, is qui sibi eam rem fructuosam putabit fore: ita fit vt nulla sit omnino iustitia, si neq; natura est, & ea quæ propter vtilitatem constituitur, vtilitate illa conuellitur. Atqui si natura confirmatũ ius non erit, virtutes omnes tollantur: vbi enim liberalitas, vbi patriæ charitas, vbi pietas, vbi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo, quòd natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est. Neq; solùm in homines obsequia, sed etiam in deos ceremoniæ religionesq; tolluntur, quas non metu, sed ea coniunctione, quæ est homini cum Deo, conseruandas puto. Quòd si populorũ iussis,

sis, si Principum decretis, si sententijs Iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si hæc suffragijs aut scitis multitudinis probarentur. quæ si tanta potentia est stultorum sententijs atq; iussis, vt eorum suffragijs rerum natura vertatur, cur non sanciunt, vt quæ mala perniciosáq; sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, cùm ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala, nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus: nec solũ ius à natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta ac turpia: nam & cõmunis intelligentia nobis notas res efficit, easq; in animis nostris inchoauit, vt honesta in virtute ponantur, in vitijs turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura ponere, dementis est: nam nec arboris, nec equi uirtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura. quod si ita est, honesta quoq; ac turpia natura dijudicãda sunt. nam si opinione vniuersa virtus, eadẽ etiã eius partes probarentur. Quis igitur prudentem, & (vt ita dicam) cautũ non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim uirtus perfecta ratio, quod certè in natura est: igitur omnis honestas eodem modo. Nam vt vera & falsa, vt consequentia & contraria, sua sponte, non aliena iudicãtur: sic constans

& perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itemq́ue inconstantia, quod est vitiũ, sua natura probatur. Nos ingenia iuuenum, non ratione ab ingenita naturæ virtute, sed vitia quæ existunt, ab ingenijs iudicamus. An ea non aliter quàm honesta & turpia, nõ ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile bonũ est, in se habeat quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura: nam ni ita esset, beati quoque opinione essent, quo quid dici potest stultius? Quare cùm & bonum & malum natura iudicetur, & ea sint principia naturæ, certè honesta quoque & turpia simili ratione dijudicãda, & ad naturam referenda sunt. Hucusque Cicero. Sequitur igitur, omnes nos ad iustitiam esse natos: neque opinione, sed natura constitutũ etiam ius atque iustitiam. Quòd autẽ multos, vt id natura esse negent, perturbet opinionum varietas, hominumq́ue dissensio, quòd apud alios aliud ius sit: quòd alijs aliud, & quandoque contrarium, honestũ & iustum esse videatur: & quia non idem contingit in sensibus, eos natura certos putemus, illa quæ alijs sic, alijs secus, nec quædam semper vno modo apparent, ficta esse dicant, illud longè aliter se habet. Nam initiò quidem, vt rectè Cicero eodem in loco scribit, sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, nõ scena deprauat, non multitudinis consensus abducit à vero. Animis

ten-

tenduntur omnes insidiæ, vel ab ijs quos modò enumeraui, qui teneros & rudes cùm acceperunt, inficiunt & flectunt vt volunt, vel ab ea quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditijs corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedinę hac & scabie carent, non cernimus satis. Deinde verò & sensus ipsi, nisi sani & valentes sint, nec vlla re impediantur, verum cernerę, atq; res dijudicarę quales sint, possunt. Remus enim multis in aqua inflexus apparet: & nimio æstu laborantibus, tepet frigida: febricitantes saporem vini non sentiunt: ijsdem res dulces, amaræ uidentur. Sunt & in hominib. qui acutius cernunt, sunt qui liquidius audiunt, sunt qui sagacius odorentur, nec est ferè quisquã, qui vel non deterius vel melius altero res sensibus percipiat, vel de ijs iudicet. Similis est ratio in mente humana, quæ, vt nuper dictum est, multos habet eosq; graues insidiatores, à quibus obcæcata oneribus, nec semper verum cernerę, & à falso distinguere, bonum à malo, honèstum ab inhonesto, iustum ab iniusto secernerę potest: estq; hoc malum non rerum ipsarum & naturæ, sed plerunq; ipsius animi, qui imbecillitate iudicij decipitur. Vnde non res & iusta & bona, sed mentes hominum subinde mutantur, atque quo quisque bonitate ingenij & virtute, rerumq; experientia in-

ſtructus eſt, eo quoq; rectius omnia iudicarę poteſt. Quàm enim multa vident pictores in umbris & in eminentia, quæ nos non videmus? quàm multa quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo generę exercitati? neq; tamen alia eſt pictura indoctis, alia doctis: neq; alius cantus illis & nobis, ſed ab ijs, cùm ſit eadem, nobiſq;, diuerſo modo iudicatur et ſentitur. Ius ergo & id quod iuſtum eſt, per ſe quidem & ſuaptę natura conſtans, perpetuū atq; vnum eſt, ſed non ab omnibus vno eodemq; modo cognitum: aut ſi ſit cognitum, tamen qua rationę ad vſus hominū, ad mores, qui varij ſunt et incerti, accommodari queat, eſt difficile & arduum. Hinc diuerſitatis legum, opinionum varietatis, iudiciorum ac ſententiarū contrarietatis cauſa, fons & origo promanauit. Nam tanta eſt inter homines morū diſsimilitudo, tanta locorum ac temporū diſcrepantia, tantaq; rerum mortalium mutatio, & perennis quædam inconſtantia atq; uiciſsitudo, vt neceſsitas iuſtam mutandarum legum occaſionem præberę videatur. Neq; tamen ita omnia abrogātur, vt vel iuſta & honeſta penitus aboleantur, ſed de modo, rationę, de facultatibus, de circunſtantijs, maximè mutationes inſtituuntur. Nam et reuereri ſeniores, colerę Deum, honorare atq; obſeruare parentes, et præſtātiores viros, nulla eſt gens tam barbara, quæ id faciendum non præcipiat: quæ

impios

impios & ingratos et immodestos non abhorreat et detestetur: quomodo autem, quo loco, quo tempore, quo ritu, quáue occasione hæc vel sequenda vel fugienda sint, dubitant. Huc accedit, quòd circunstantiæ rerum, & qua ratione vnumquodq; obseruandum sit, nostro Iure ciuili est suis ijsq; certis limitibus circunscriptum ac determinatū: præterea et contradictiones seu contrarietates atq; diuersitates legum, vt Imperator Iustinianus testatur, uel omnino sublatæ, vel admodum paucæ, quæ non difficile conciliari inter se & componi poßint, relictæ. Patet igitur Ius ipsum nòn in opinione, sed in natura positū esse: aut si tale aliquod sit, quo minus ad artem eiúsue saltem simulachrum reuocari poßit, nihil impedimento esse. Neq; verò satis est signi, Ius propterea arte conclu di non posse, quòd in ea re neq; à veteribus, neq; à nostris Iureconsultis, qui tamen summo ingenio, singulariq; doctrina, experientia rerū incomparabili præditi fuerunt, sit elaboratum. Huic enim quæstioni Cicero noster in libro de Oratore satisfacit, ubi inquit, primùm quidem veteres illos, qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atq; augendæ potētiæ suæ causa, peruulgari artem suam noluisse: deinde posteaquam est æditū, expositis à Cn. Flauio primùm actionibus, nullos fuisse qui illa artificiose digesta generatim cōponerent: nihil enim esse quod ad artē redigi poßit,

nisi ille prius qui illa tenet, quorum artem instituerę vult, habeat scientiam illam, vt ex ijs rebus quarum ars nondū sit, artem efficerę posit: multa enim sunt in rerum natura, quæ partim adhuc ignorantur, partim dißipata iacent ac dispersa sine artificio, neq; propterea verè non existunt. Nos addamus & illud, multos olim extitisse, & extare etiā nunc Iureconsultos, qui si quāmaximè velint, atq; idipsum facerę tentauerint, nō potuerint tamen, quòd vel rationem methodi & ordinis, vel artis ipsius capita, non bene cognita perspectáq; habuerint. In eo nanque multi hallucinari solent, quòd vel incognita pro cognitis, vel cognita pro incognitis habeant. Neq; tamen hæc vitia vel artibus, vel rerū naturæ, sed humanæ mentis atque ingenij nostri imbecillitati tribuenda sunt. Quàm multa enim fallunt medicos? quàm multa bonos gubernatores? sæpe decipiuntur optimi quiq; Imperatores: non raro hallucinantur peritißimi ædificatores; neque tamen propterea aut medicina, aut ars nauigandi aut ædificandi deterior, artiumq; numero eijcienda est.

Illud etiam à quibusdā sæpe obijci nobis solet. Etsi partes huius disciplinæ vel genera vtcunq; ordinę aliquo disponi, atq; via quadam constringi queant, non tamen eadem rationę instrumentis, definitione nimirum atque diuisione, explicari & doceri posse:

quippe

quippe cùm omnis in Iure, vt Vlpianus ait, definitio periculosa sit, rarumq́ sit vt subuerti non valeat: ad hæc definitiones esse proprias substantiarum, Ius ciuile accidentia tantum cõtemplari. Verùm hi non rectè à difficultatę ad impoßibilitatẽ, vt sic dixerim, argumentantur: multa enim etsi difficilia & periculosa factu & cognitu sint, fieri tamen vel cognosci possunt. Estq́ hæc res communis quoque alijs artibus atq́ disciplinis, maximè verò ijs quæ in contemplatione rerum naturaliũ positæ sunt, in quibus quàm magna inueniendi differentias, genera, vnde definitiones ac diuisiones cõstituũtur, sit difficultas, quàm sæpe diuinus Plato alijq́ philosophi in diuidendo ac definiendo hallucinati sint, abundè in libro primo de Partib. animaliũ Aristoteles demonstrauit. Non igitur tollit Vlpianus definitiones, sed quàm periculosum et difficile definire in Iure sit, ostendit, maximè verò ijs, qui nec tendarum definitionum atq́ diuisionum leges, discrimina generum atque differentiarũ, aut ignorant prorsus, aut non rectè didicerunt. Sæpe fallimur, dum aduentitias res à substantialibus, dum cõmunia à proprijs non verè distinguimus ac separamus. Illud omnino reijciendum est, quòd definitio sit propria substantiarum: nam & accidentia & proprietates rerum definiri possunt. Causa huius erroris & paralogismi est, quòd cùm definitio dicatur expli-

care substantiam alicuius rei, multi accidentia, quia substantiæ nõ sint, definiri posse dubitent. Sed hi non animaduertunt, substãtiæ nomen duobus modis concipi, aut pro re quæ suapte vi & natura consistit, vt Socrates, saxum, planta: aut pro natura & essentia rei, posse. Definitio igitur non tantùm est instrumentum explicandi substantiam, hoc est, rem quæ suapte vi nititur, sed etiam naturam atq; essentiam rerum: quapropter et accidentium, quia accidentia quoque suam naturam & essentiam obtinent: alia enim est natura tutelæ, alia obligationis, alia actionis, alia seruitutis. Illud autem sciendum est, quod sæpe antea dixi, Iuris ciuilis definitiones, præcepta, totamq; adeò artem, non ijs scientijs quæ sunt rerum æternarũ & necessariarum, sed ut Tullius alijq; tradiderunt, disciplinis, quæ probabiliter & pingui, quod aiunt, Minerua, & eatenus quoad rei natura patitur, de vnoquoq; generę differerę, tum quid in vnaquaq; re veri sit ostendere, et de rebus quæ plerunq; accidunt disceptare, leges sancirę, præcepta constituere possunt, annumerari deberę. In quibus satis artificẽ officio suo fecisse existimandum est, si ea quæ partim à natura sunt, partim longo negociorum vsu, & rerum publicarum administrationibus obseruata, animaduertere, & animaduersa ac notata uerbis designare, generibus illustrarę, partibusq; suis vtcunq; distribuere

buerę poßit. Vndę si non perfectam & absolutam quãdam artem, artis tamen egregium aliquod simulachrũ constituat doceatq́, necesse est. At quoniam hæc omnia non ingenij ostentandi, sed quærendi & inuestigandi veri causa à nobis disputata sunt: atque ex ijs, vt arbitror, satis quæ ratio tum inueniendarũ tum docendarum disciplinarum, maximè verò Iuris ciuilis sit, ostensum, finis sit huic disputationi, quã ego cuperem aliquando à peritioribus doctioribusq́ philosophis atque Iureconsultis multò fusius & doctius, in studiosorum gratiam explicatã, vt non tantùm, an Iuris aliqua scientia, quod dubium amplius non est, sed quæ & qualis eius esse poßit ac debeat, nobis constaret.

LIBRI SEPTIMI ET VLTIMI PRINCIPIORVM IVRIS FINIS.

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

Numeri paginas indicant.

Aesti-

Iuriſpru-

L

Partes

De Se-

T

FINIS.

ERRATA.

Pag.107.	vers.17.	lege, multiplicem
140	5	τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα
173	8	ἐκ παραλόγου
200	24	Actionis ne
231	10	Theages
245	24	Forte, ἐστιν. vel, δ' ἐστιν ἀρετὴ ψυχῆς, διανεμητικὴ &c.
308	1	Demonstrantur
342	17	κριτηρίοις
344	1	Sit, familiaris est
346	13	Notiora
384	11	Veluti
393	11	Coniunctio aut vaga
409	14	Speusippus, Polemon
415	3	Explicata sunt